



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN


Universitätsbibliothek Paderborn

**Doctrina Nova Ac Mira De Ignorantia Eximii Domini
Gumhari Huygens**

Huygens, Gommarus

Coloniæ, 1682


urn:nbn:de:hbz:466:1-37083





No. 439.


D. 1

29.









Handwritten markings at the bottom of the page, including a large 'A' and some illegible characters.

DOCTRINA
NOVA AC MIRA
DE
IGNORANTIA
EXIMII DOMINI
GUMMARI HUYGENS
CUM APPENDICE
DE IGNORANTIA IPSIUS
CIRCA
ANGELOS TUTELARES

EXPENSA
PER
ULICUM JONSON
THEOLOGUM

* * * * *
* * * * *
* * * *

COLONIÆ,
Apud Wilhelmum Friessen
Bibliopolam. 1682.

*Coll. Soc. J. P. Paderborn
done P. Kloppenburg 1697*

DOCTRINA
NOVA AC MIRA
DE

IGNORANTIA

EXIMII DOMINI
GUMMARI HUYGENS

CUM APPENDICE
DE IGNORANTIA TESTIS
CIRCA

ANGELOS TUTELARES

EXPRIMA

PER

ULICUM JOHNSON

THEOLOGUM

COLONIAE

Apud Wilhelmum Fischer

Bibliothecam 1682.

Handwritten notes in Latin script, likely a library or collection stamp.

AUCTOR
AD EXIM: GUMMARUM HUYGENS.

EXIMIE DOMINE,

*Prædiit nuper Libellus cui titulus;
Doctrina nova de libertate Ex-
imij Domini GUMMARI HUY-
GENS &c. Libello hoc invictissimè,
ut mihi quidem apparet, demonstra-
tur doctrinam tuam de libertate, à
doctrina Ianssenij, Calvinij, Lutheri,
aliorumq; Hereticorum nihil admo-
dum discrepare, nisi fortè verbotenus,
re verò ipsà esse eandem, nisi quod in
quibusdam illos ipsos superaveris, ea
docens, quæ ipsi docere non sunt ausi.
Discipuli tui, de famâ Magistri sui
merito solliciti, expectarunt responsi
quidpiam: usque hodie responsi visum
est nihil.*

*Sapientiores judicant, te argumen-
torum ponderi succumbentem, res-
pondere non posse aliter, quam aperte
doctrinam tuam retractando, ut decet*

Doctorem, qui mavult ab opinione
suâ, quam à verâ JESU CHRISTI
doctrinâ discedere.

Suspiciantur alij silentium hoc tuum
proficisci ex quodam contemptu ergà
Auctorem libelli, quasi non digneris
respondere ei, qui seipsum profitetur
de grege esse Theologorum, vix, aut
ne vix quidem, mediocrem: hanc ta-
men suspicionem ut inanem rejiciunt
alij, teque ejusmodi virum esse arbi-
trantur, ut Theologum non tam ex
demissâ sui ipsius æstimatione metia-
ris quam ex argumentorum ipsius, ac
discursus soliditate, quam in Gerar-
do van Viane docti sanè suspiciunt.
Quidquid sit de hoc tuo silentio, quod
me minimè habet sollicitū, statui ego,
quod sperabat ille, si valetudo patere-
tur, doctrinam tuam observare reli-
quam: atque hoc imprimis opusculo
proponam doctrinam tuâ de ignoran-
tiâ, cui adjungam appendicem de ig-
norantiâ tuâ circà Angelos tutelares.

PRO-

PROLUSIO.

Refellitur popolare præjudicium
de approbatione Doctrinæ
Gummariænæ.

Nihil tam habet cordi Pars ad-
versa, quàm ut imperita Plebi in
Belgio persuadeat Doctrinam Factio-
nis esse approbatam, etiam Romæ apud Sedem
Apostolicam; astutum profectò consilium!
hoc namque præjudicio semel præoccupata
mens non facile admittit, imò aversatur
magnopere, nec sustinet audire quidquid do-
ctrinæ illi videretur esse contrarium: hoc enim
sibi persuadent omnes in Belgio Orthodoxi,
Sedem Apostolicam veritatis esse Magistram,
nulli errori obnoxiam; hinc quidquid illa
damnat, damnant illicò, quidquid probat, pro-
bant, ac amplectuntur, nihil hesitantes: hanc
Fidelium persuasionem, damnatis suis erroribus
proferendis obstaculum rati Jansenij Secta-
tores, sæpius ex illorum animis evellere sunt
conati, dicentes Pontificem Romanum homi-
nem esse errori, ut reliquos, obnoxium, saltem
errare posse, quandò sine Concilio OEcumenico
definit quidpiam, errasse sæpius; si quis re-

PROLUSIO.

ponebat Pontificem Romanum verum Jesu Christi Vicarium falli aut fallere non posse deficientem à Cathedra, ridebant tamquam nannias pueris decantatas. Sed persistunt in sua persuasione fideles, nihil dubitantes de Autoritate Pontificis infallibili, nullum etiam discrimen facientes, inter questionem juris, & questionem de sensu libri Hæretico, vel Catholico, quam Adversarijs hoc tempore nominare placuit Questionem facti, ad eludendam Constitutionem Alexandri VII. Hæreseos damnantis quinque Propositiones in sensu Jansenij: quarè novæ factionis Partiarij, videntes firmam herere, atque immotam Fidelium animis hanc persuasionem de autoritate Romani Pontificis falli nesciã, seque nihil admodum proficere fraudulentis suis argutijs, aliam machinari cœperunt fraudem antiquis hæreticis usitatam, ac familiarem; Statuerunt itaque sanctã hanc Fidelium persuasionem abuti ad erronea sua dogmata latius propaganda: libris igitur ac libellis, quos Baij ac Jansenij erroribus farciunt, Autoritatem concilians ementitã Approbatione Sedis Apostolicæ, hos Fidelibus commendant, sincerissimè ore ad pietatem composito affirmantes, Sedis Apostolicæ

ALRO-

PROLUSIO.

authoritate jam esse probatos, tamquam maximè Orthodoxos: Pij Fideles libros emunt, legunt avidè, ac venenum hauriunt incauti, nihil mali suspicantes; approbationis hujus rumor, ac fama ubique personat, testes etiam appellantur Viri Illustrissimi, de quorum fide nefas videatur dubitare. Hâc fraude capiuntur multi; hâc fraude captus nuper videri possit insignis etiam Theologus Cornelius Zegers, qui apertè impugnare non est ausus Specimina moralia R. P. F. Ægidij Gabrielis, quæ tamen sibi alijsque sanioris Doctrinæ Theologis videbantur maximè perniciosæ; impugnare tamen non est ausus apertè, quia illorum Approbatio Romana toto Belgio personabat, quare Scrupulos tantùm aliquos circa illa proposuit, plus aliquid non ausus; sed Scrupulos ipsi tandem exemptos arbitror, postquam detecta est fraus Approbationis subreptitiæ. Hodie etiam toto Belgio circumfertur impresso folio Approbatio Romana quorundam Articulorum Theologorum facultatis Lovaniensis; sed huic Approbationi parum fidetur in Belgio, nemo non palpat fraudem. Vix aliud hodie audias Lovani quàm Romæ probatam esse Doctrinam, quam continet Censura Lovaniensis, ejusque

PROLUSIO.

justificatio; ego utramque legi haud segniter, mihi apparet manifestum, omnes quinque Propositiones, hæreseos damnatas in sensu Janssenij, Censurâ illâ, atque justificatione contineri minimè obscure; Undè dixi non semel, haud dubitare me, quin ipsi Augustino Cornelij Janssenij prætexenda sit aliquando Approbatio Romana; non vanum me hæc in re fuisse Vatem, eventus probavit: jam binas vidi litteras, quas amico scripserunt Viri duo, de quorum fide sine injuria dubitare non possum: alter ità scribit Amsterodamo 27. Novembris Anno 1681. Dixit Typographus N. N. se impressurum brevi Augustinum Janssenij. Reposui ego librum esse Hæreticum ac proin imprimi non posse, reposuit, Sacerdotes sæculares sibi dicere, illius doctrinam esse jam Romæ approbatam. Alter scribit in hac verba Gandavi 16. Decembris ejusdem anni: In Hollandia Typographus Catholicus parat imprimere Augustinum Janssenij, quia Sacerdotes sæculares ipsi dixerunt, illum librum, & ejus doctrinam jam esse Romæ approbatam. Ità scribit qui habet ex ore ipsius Typographi. Sic per fraudem hæreticam Augustinum

PROLUSIO.

Finem Janssenij brevi videbimus quasi e cineribus redivivum. Quid non audent Filij iniquitatis! Quis credidisset tantam fore ipsorum impudentiam, ac procaciam, ut ipsi Augustino Cornelij Janssenij Romano etiamnum fulmine fumanti Romanam auderent obtendere Approbationem? Atque ita imponere male credulo Typographo inter Hæreticos Catholico? Ego hinc didici, firmiterque statui Approbationibus hujusmodi, quas hoc tempore fert popularis rumor, sine instrumento legitimo non credere tam citò: quare etsi Belgio toto circumsonet fama, quòd doctrina Eximij Domini Gummari Huygens Sedi Apostolica sit probata, nisi mihi exhibeant instrumentum legitimum quod fidem possit facere, non credam facilius, quàm si idem fama ferret de doctrina Calvinij, Lutheri, aliorumve Hæreticorum, à quâ discrepare Doctrinam Gummariam de Libertate nemo facile ostenderit, sicut reverà non discrepare, ostendisse videtur Gerardus van Viane quem ementita isthac Gummariæ Doctrinæ Approbatio non deterruit à scribendo, sed nec terreat me, quominus de doctrina illa scribam liberè quod sentio; Charitas tamen cohibebit, ne Virum vel verbulo offendam us-

PROLUSIO.

piam; nam Virum amo, cuius Doctrinam odî
quamvis & hanc toto animo amplectar, si
umquam mihi, non populari quodam rumore,
sed certiori quâdam fide innotuerit, illam tam-
quam Orthodoxam esse admissam, ac probatam
à Sede Apostolicâ, quam certissimam fidei re-
gulam, ac veritatis Magistram falli nesciam
agnosco, ac veneror, paratus semper captivare
intellectum in obsequium fidei. Quamobrem
Eximium D. Gummarum Huygens etiam
atque etiam obtestor, me dignetur docere, ru-
morem illum popularem, qui toto Belgio per-
sonat, de Approbatione ipsius doctrinæ, non
esse mendacem, qualis indubiè est ille de Ap-
probatione Augustini Cornelij Jansenij,
dignetur docere ubi, quando, quo verborum
tenore Doctrina sua probata sit à Sede Apo-
stica, & profiteor palam, me Doctrinam ipsius
amplexurum illiò, ac propugnaturum forciter.

* * * * *

* * * * *

* * * *

* * *

* *

*

DOC.

I
DOCTRINA
GUMMARIANA
DE
IGNORANTIA
INVINCIBILI.

S. I.
*An Ignorantia aliqua rectè
vocetur invincibilis.*

Sunt nonnulli, inquit Cassiodorus
lib; Instit: Divinarum Lect: Cap:
11. qui putant esse laudabile, si quid
contra antiquos sapiant, & aliquid no-
vi, undè periti videantur, inveniant: hos inter
an recenseri mereatur Eximius Gumma-
rus, statuunt alij. Certè Gerardus van
Viane miratus est nuper ingenium ipsius
penetrasse amorem ipsum beatificum, in
ipsoque invenisse libertatem à necessitate
majorem, quam reperitur in ullo actu
viatoris. Cæteri quidem Theologi in

2 *Doctrina Gummariana*

amore beatifico considerarunt libertatem à peccato, à miserâ, à mutabilitate, atque hoc sensu amorem illum dixerunt esse liberrimum: at verò libertatem à necessitate in ipso amore beatifico, & quidem majorem, quam in amore ullo viatoris, invenit ante Gummarum Theologus inter antiquos aut recentiores, inter Catholicos, aut Hæreticos, ni fallor, nemo ullus; novæ hujus libertatis à necessitate in amore beatifico repertæ, solus ipse est auctor. Hanc ipsi laudem nemo, opinor, invidet. Nunc novum aliud viri inventum admiremur: sed rem ipsam paulò altius repetamus.

Theologi omnes, ubi disputant de peccatis ignoranter admissis, an sint homini imputanda, an verò ignorantia titulo excusanda, accuratè distinguunt inter ignorantiam, quam operans debuit, ac potuit superare, ac vincere; & ignorantiam, quam superare, nec debuit, nec potuit: hanc vocant *invincibilem*, illam *vincibilem*.

Hæc ignorantia partitio usque adeò est celebris, fuitque semper in scholis, ut de illâ ante hæc tempora numquam & nus-

de Ignorantia invincibili. 3

nuspian fuerit disceptatum : omnes hanc admittebant, habebantque ut certam; tùm verò disputabant, an, & quæ ignorantia justam peccati excusationem haberet.

Saniores Theologi illimitatè pronuntiabant, ac invictissimè demonstrabant ignorantiam invincibilem peccatum omninò excusare. Cornelius verò Janssenius Joannis Calvinii, aliorumque hæreticorum vestigia premens, negavit ignorantiam juris naturæ quantumvis invincibilem, omnimodè excusare peccata contra legem naturæ ignoranter admissa, quamvis fateretur excusare ex parte, hoc est minuere utcumque ipsorum malitiam.

Janssenium secuti sunt fidelissimi ipsius Asserclæ fortissimè pro arcanâ Magistri sui doctrinâ, licet tremendâ, tanquam pro aris ac focis pugnantes, iidem prorsus armis, seu argumentis, quæ Janssenius à Calvino, Luthero, alijsque Sectarijs mutuatus in suo Augustino, velut armamentario quodam deposuerat. Ex adverso pugnant acerrimè melioris fanæ, ac sanioris doctrinæ Theologi melioribus armis, hoc est Summorum Pontificum oraculis, SS.

4 Doctrina Gummariana

Patrum antiquissimis monumentis, ipsius-
que Augustini auctoritate, ipso rationis lu-
mine instructi. Utrique tamquam in-
dubitatum habebant ignorantiam juris
naturæ in quibusdam circumstantijs dari
posse invincibilem: hinc neque *Calvinus*,
neque *Lutherus*, neque *Jansenius*, neque
horum *Asseclæ* fideiiores ita arguebant:
non datur, imo dari nulla potest igno-
rantia juris naturæ invincibilis; ergo nulla ex-
cusat: quæ sanè fuisset argumentandi ratio
maximè expedita, si existimassent igno-
rantiam juris naturæ dari non posse invin-
cibilem: imo ignorantiam juris naturæ in-
vincibilem aliquando fuisse in hominibus,
statuebant tamquam indubitatum: nam ex
ipsis sacris paginis docebant, pro peccatis
ignorantiæ tempore legis veteris oblata
fuisse Sacrificia, quosdam ob peccata igno-
ranter admitta fuisse reprehensos, ac puni-
tos, quosdam ejusmodi delictorum veni-
am postulasse; ex quibus omnibus con-
cludebant ignorantiam juris naturæ invin-
cibilem haud excusare: perridiculum au-
tem fuisset ita concludere, nisi sibi persua-
sissent, istis casibus intervenisse ignorantiam
juris naturæ invincibilem.

de Ignorantia invincibili §

Posterioribus tamen annis nonnulli
Janssenij Sectatores pugnando fortè lassè,
atque adversæ partis argumentorum pon-
deri succumbentes, longâ jam experien-
tiâ edocti, Magistri sui de Ignorantia do-
ctrinam omni ratione, atque auctoritatis
munimine destitutam nimis esse infirmam,
quàm ut inanibus quibusdam atque ab
Hæreticis emendicatis argutijs contrà tor-
rentem Theologorum, solidissimis tum à
ratione, tum ab auctoritate petitis argu-
mentis pugnantium defendatur diutiùs,
certi tamen doctrinam sui Ducis non de-
stituere, novum excogitarunt consiliùm,
imitandi scilicet industrios Urbium Pro-
pugnatores, qui alia atque alia extrà urbem
hosti propugnacula objiciunt, ut eò longius
atque diutiùs ipsum arceant ab ipsius urbis
aggressione, parati tamen propugnaculis
debellatis ipsam urbem totis viribus defen-
dere: ergò Janssenij Pugiles advertarijs
suis objicere cœperunt, velut propugna-
culum quoddam novum, Doctrinæ Ducis
sui defendendæ peridoneum, *Ignorantiam*
scilicet *juris naturæ non dari*, imò *nec posse*
dari invincibilem. Atque ità jam ratioci-
nantur :

6 Doctrina Gummariana

nantur: Ignorantia juris naturæ invincibilis nulla datur, nulla potest dari, ergo nulla excusat; priore Propositione adversarios tuos nituntur occupare, ne posteriorem, quæ est ipsa Doctrina Janssenij, aggrediantur, atque expugnent: ubi verò Jansenianæ Factionis Adversarij priorem Propositionem expugnarunt, invictissimè ostendentes Ignorantiam juris naturæ insuperabilem dari posse, ac reipsâ dari sæpissimè; tum Jansenij Affectu vires omnes atque conatus adhibent ad posteriorem Propositionem scilicet hanc: *Nulla ignorantia juris naturæ insuperabilis excusat*, quæ est ipsa doctrina Jansenij, defendendam strenuè, si non feliciter, saltem pertinaciter.

Quid verò Gummarus? Doctrinæ Jansenianæ propugnaculum istud: *Ignorantia juris naturæ invincibilis nulla datur*, nititur efficere inexpugnabile, ut Doctrinæ Magistri sui posthâc nihil sit metuendum; mirare Lector novum Viri artificium. In Dictionis publicis Art. 8. Observ. 4. docet omnem ignorantiam juris naturæ, etiam illam, quæ poneretur esse minimè voluntaria, rectè vocari vincibilem, ac proindè nullam esse

in-

de Ignorantia invincibili 7

invincibilem, *Quia, inquit, absolute vinci potest, saltem per gratiam: audiamus ipsa verba, quae publice in schola dictavit Doctor hic: Nostra sententia est, quod ejusmodi ignorantia semper sit voluntaria, idque à voluntate nostra propria; hinc non admittimus dari reverà casum, quo hic & nunc peccetur contra jus naturae ex ignorantia involuntaria: minus admittimus hanc locutionem, ut potè duriores, peccatur contra jus naturae ex ignorantia invincibili; hanc locutionem dicimus duriorè, quia etsi admitteretur, quandoq; contra jus naturae peccari ex ignorantia non voluntaria, non admitteremus equidem peccari ex invincibili: durius enim sonat hanc ignorantiam vocari invincibilem, quàm vocari non voluntariam: quia etsi supponeretur esse non voluntaria, rectè tamen adhuc vocaretur vincibilis, quia absolute vinci potest, saltem per gratiam.*

En artificium: omnis ignorantia juris naturae est vincibilis, quia absolute vinci potest, saltem per gratiam; ergò nulla est invincibilis; ergò nulla invincibilis excusat. Conclusio complectitur Doctrinam Jansenij; hanc autem nemo potest evertere, si non priùs everterit hoc ejus propugnaculum: omnis ignorantia juris naturae

8 Doctrina Gummariana

est vincibilis, *Quia absolute vinci potest, saltem per gratiam*: hoc autem Deus immortalis! quis evertat?

Eximie Gummare, pace tuâ paucis te interpellabo: ais, ac doces, omnem juris naturæ ignorantiam, etiam illam, quæ ponitur esse non voluntaria, rectè vocari vincibilem, ac propterea, etsi admitteretur quandoque contra jus naturæ peccari ex ignorantia non voluntaria, non admitteres tamen peccari ex invincibili, *quia absolute vinci potest, saltem per gratiam*. Atque hâc ratione stabilire contendis dogma illud Jansenianum: nulla ignorantia juris naturæ invincibilis excusat. Cur non similiter ita arguis: nulla datur, nulla dari potest, imò nec cogitari ignorantia, seu facti, seu juris cujuscumque, quæ sit invincibilis: nam quamcumque excogitaveris, ea *absolute vinci potest, saltem per gratiam*, aut revelationem Dei scientis omnia; ergò nulla prorsus ignorantia invincibilis, seu facti, seu juris positivi excusat operantem ex illa?

Videri fortè voluit Adversarius dissensisse à Jansenio, per hoc quod doceat
omnia

de Ignorantia invincibili 9

omnem ignorantiam esse vincibilem, cum
Jansenius admiserit invincibilem: sed re
ipsâ non dissensit: nam ignorantiam om-
nem esse vincibilem hoc sensu, quod vinci
possit absolutè, saltem per gratiam, nus-
quam negavit, imò fassus est Jansenius:
audiamus ipsum lib. 2. de statu naturæ
lapsæ cap. 6. fol. 313. ubi comparat igno-
rantiam juris naturæ invincibilem cum
cœcitate, quâ quis excœcatus est: *Utraque*
inquit, quadam cœcitas est, utraque solâ
humanâ potestate invincibilis, utraque Divi-
nâ gratiâ & potestate vincibilis. ibid. fol 312.
Miserabilem istam naturæ nostræ cœcitatem
sapissimè Augustinus inculcat, utpotè tantam,
ut nullomodo possit solâ natura duce superari.
& ideo non nisi adjuvante Creatore docet nos
posse, sicut à difficultate, id est à concupiscentia
cruciante, ità & ab ignorantia cœcante liberari.
Viden quomodò Jansenius ignorantiam
invincibilem dicat absolutè posse vinci,
saltem per gratiam, atque adèd hoc sensu
esse vincibilem? Nulla igitur hîc est re-
inter ac Janssenium dissonantia, sed con-
cordia, quâ major inveniri non potest
inter Discipulum ac Magistrum; absit ta-
men

10 Doctrina Gummariana

men, ut Janssenium cogitem tuum esse
Magistrum, aut doctrinae tuae esse Aucto-
rem: *Tædet, inquis, nanias illas toties au-
dire, quæ nec Theologo dignæ, nec homine cor-
dato, nec a'ud à nobis responsum refrent,
quàm pueri'iter & ignoranter nostra
sententia auctor fugitur Janssenius.* Videri
non vis quidquam didicisse à Jansenio,
cùm non minùs ac ille Sacrae Theologiae
sis Doctor: imò verò si Janssenius hodie
viveret, fallor, ni te suum agnosceret Ma-
gistrum, à quo didicisset argumentum
unum aliquod, quo invictissimè potest
demonstrari, ignorantiam juris naturæ
invincibilem non excusare à peccato. Ar-
gumenti summa hæc est: nulla ignoran-
tia juris naturæ invincibilis datur, aut dari
potest, quia omnis *absolutè vinci potest,
saltem per gratiam;* Ergò nulla excusat.
Invictissimum profectò isthoc est argu-
mentum, hoc à te Doctore discere posses,
si viveret Janssenius.

Sapiens est consilium: sapere cum pau-
cis, loqui cum multis: dico ergò aliquam
ignorantiam rectè vocari invincibilem.
Ità ignorantiam aliquam nominarunt,
quot

de Ignorantia invincibili 11

quotquot constanter affirmarunt, ignorantiam invincibilem facti & juris positivi, saltem humani excusare à peccato: Hi autem sunt Theologi, omninò omnes, qui hanc controversiam vel attigerunt. Ità etiam ignorantiam aliquam vocarunt, quotquot docuerunt, ignorantiam quamlibet invincibilem excusare à peccato; nam hi omnes tamquam indubitatum habebant dari posse, imò dari aliquandò ignorantiam invincibilem. Hoc denique nomine ignorantiam aliquam appellarunt Theologi omnes, qui ignorantiam bifariam diviserunt, & aliam vocarunt invincibilem, aliam vincibilem. Horum nominibus recensendis nolo calamum terere, atramentum, chartam, ac tempus consumere.

Contra arguet D. Gummarus 1. ità quidem ignorantiam aliquam vocarunt Theologi omninò omnes, sed malè, sed perperam, quia ignorantia omnis *absolutè vinci potest, saltem per gratiam*. Sed quæso consule Apostolum ad Romanos 12. v. 3. monitum istic invenies salutare, maneat altà mente repositum.

Arguet Gummarus 2. omnis ignorantia

12: *Doctrina Gummariana*

ria absolutè potest vinci, saltem per gratiam; perperam ergo aliqua vocatur invincibilis.

Resp. 1. ac nego consequentiam: nam multa dicimur simpliciter non posse, quæ tamen absolutè possumus, saltem per auxilium Dei. Sic adversarius simpliciter rectè dicitur non posse numerare Stellas Cœli, scrutari secreta cordium, volare per aëra, licet absolutè hæc possit per auxilium Dei extraordinarium: imo ut quis simpliciter dicatur aliquid posse, satis est ex mente Gummari, quod id possit positâ conditione impossibili, ut observavit *Gerardus van Viane*.

Resp. 2. Ac distingo priorem Propositionem: omnis ignorantia absolutè potest vinci, saltem per gratiam, quam de facto habet, aut saltem in manu ipsius est habere, qui invincibiliter ignorare dicitur, nego: per gratiam, quam de facto nec habet, nec est in manu ipsius habere, sed quam Deus potest absolutè largiri, concedo; sed nego sequelam.

Arguet 3. Durus est hic sermo, quo quis dicitur peccare ex ignorantia legis naturæ

turæ

de Ignorantia invincibili 13

turæ invincibili, rectius diceretur peccare ex ignorantia legis naturæ involuntariâ.

Resp. 1. distinguendo assumptum: durus est hic sermo, quo quis dicitur peccare ex ignorantia legis naturæ invincibili, si intelligatur ignorantia invincibilis hoc sensu, quod absolute vinci non possit, nequidem per gratiam, quam Deus posset largiri, concedo assumptum: sed durum facit hunc sermonem morosa nimis interpretatio Gummarii: Durus est hic sermo, si intelligatur commodè, prout fert usus loquendi humanus, & prout intelligunt Theologi minus morosi, nego assumptum.

Resp. 2. Aliter distinguendo idem assumptum: durus est hic sermo, quo quis dicitur formaliter peccare ex ignorantia legis naturæ invincibili, adeo ut operanti imputeretur ad culpam, & pœnam, concedo assumptum: sed sermo hic est Calvinii, Jansenij, & aliorum, qui hocse pressè sequuntur; & æquè durus, & quoad rem idem est sermo, quo quis ita peccare dicitur ex ignorantia legis naturæ involuntariâ, ut loqui mavult Gummarus: durus est hic sermo, quo quis materialiter peccare
dicitur

14 *Doctrina Gummariana*

dicitur ex ignorantia legis naturæ invincibili, ita ut operanti non imputetur ad culpam, aut pœnam, nego assumptum.

Fusior fui, quam esse statueram hoc Paragrapho; si cœtera, quæ habes in dictatis, ac compendio, persequar tam copiosè, volumina mihi erunt conscribenda, conabor post hac esse compendiosior, memor compendij, quo paucis complexus es dogmata complura.

S. 2.

An omnis Ignorantia juris naturæ potius sit voluntaria, dum ex illa operamur, quam dum non operamur?

Nemo nescit, circà jus naturæ incidere quæstiones plurimas maximè implexas ac intricatas, quibus enodandis longissimo tempore frustra insudarunt Viri tum Sanctitate, tum Doctrinâ orbe toto conspicui; circà illas integra per sæcula disputatum fuit utrimque acerrimè, alijs sic, alijs

de Ignorantia invincibili 15

alijs aliter sentientibus: aut hos, aut illos errare est necesse; diversæ namque pugnantisque circumferuntur sententiæ; multi ergò Viri, etiam doctissimi, ignorant jus naturæ, saltem circà conclusiones à primis principijs remotiores, multumque implexas. Quod si ignorantia juris naturæ invadat Viros Doctissimos, quid cogitandum de viris agrestibus, quid de mulierculis, quas cura domestica non finit indagandæ veritati multum vacare, quid de pueris, qui usum rationis nuperrimè sunt adepti: dubitari non potest, quin hi omnes circà jus aliquod naturæ errent persæpè: omnem illam ignorantiam semper in illis omnibus esse voluntariam, censet Adversarius, *Saltem quando ex illa contrà istud jus agitur*: Sic enim habet in *Dictatis publicis art. 8. Observ. 2. in fine*: *Putamus, quod omnis ignorantia juris naturæ, saltem quandò ex illa contrà istud jus agitur, sit voluntaria.*

Quid porrò sibi vult illud: *Saltem*? Ergonè quandò ego, post adhibitam omnem in assequenda veritate diligentiam, operor contrà jus naturæ, isthæcne mea ignorantia est magis voluntaria, quandò

B operor

16 Doctrina Gummariana

operor, quàm dum nondum operabar?
Non capio. Cogitemus unam ex istis mulierculis, quas Lovanij instruis (Marollas vocant) cogitemus inquã unam ex illis tibi Patri suo ascetico proponere dubiũ quodpiam pertinens ad jus naturæ, v.g. an hanc, vel illam actionem jubeat, an vetet natura: cogitemus deindè te post ferventes ad Deum fusas preces, post diligens assequendæ veritatis studium, isti respondere, actionem illam esse licitam ac permissam, quam tamen re verâ natura vetat, Deo Optimo maximo, incertâ quidem, sed tamen justâ de causâ permittente, ut aberres à vero.

Cogitemus piam hanc Marollam nihil mali suspicantem, sese conformare judicio sui Instructoris, idque operari, quod re ipsâ naturæ lege est prohibitum. Hic habemus ignorantiam aliquam juris naturæ, hanc ais esse voluntariam, *Saltem quando ex illa contra istud jus agitur*: Hoc non capio cur isthæc ignorantia potiùs, aut magis sit voluntaria in Marolla operante, quam in Gummaro judicante operationem esse licitam; cur potiùs sit voluntaria in Marolla dum operatur, quàm dum non
ope.

de Ignorantia invincibili 17

operatur. Latet hîc Myſterium, latet Ænigma, ediffere nobis Magiſter. ſed, fruſtrâ exſpectamus reſponſum, ſtatuit ſilere quando non commodè poteſt reſpondere: Prudens ſanè conſilium! nos interim pergamus, & conſideremus fundamentum doctrinæ hujus tam myſterioſæ.

Obſervationem ſuam ſecundam ità orditur hic Doctör: *Eſi ignorantia legis Dei poſitiva poſſit quandoque eſſe involuntaria. . . . hinc tamen conſectaneum nullatenus eſt, quod etiam ignorantia Legis naturalis poſſit eſſe involuntaria: hac enim (ut nihil dicam de graviore obligatione) longè magis eſt conſpicua, quàm lex poſitiva; ipſa enim eſt illa lex æterna, quæ ubique eſt, quæ ſemper eſt, & ubique & ſemper immutata, ac immutabilis ipſa eſt illa lux vera ſive lucida veritas, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, ut eam omnes intueri poſſint, ſaltem dum ſecundum illam eſt agendum.*

Sed verò tuum ego me hodie ſtatuo diſcipulum, doce me i. quandoquidem lex naturæ eſt illa lex æterna quæ ubique eſt, quæ ſemper eſt &c. quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, cur illam potiùs

18 *Doctrina Gummariana*

omnes possint intueri, quandò secundùm illam est agendum, quàm dum secundùm illam instruendi sunt homines, in templo v. g. aut Discipuli in schola? An non lex illa perindè est semper, est ubique, quandò secundùm illam instituendi sunt Discipuli, quàm dum est operandum? Ad quid ergò toties repetitum, toties inculcatum tuum illud *Saltem?*

Doce secundò quòd *illa lex aeterna quae ubique est, quae semper est*, ità illuminet omnem hominem venientem in hunc mundum, ut quemlibet quantumvis rudem, atque agrestem doceat, quid præcisè jubeat, quid veter natura (tunc saltem quandò secundùm illam est operandum) quod sæpè tam est obscurum, tam abstrusum, tam ab humano intellectu remotum, ut ingeniosissimi, ac sanctissimi viri per multas preces, per indefessum studium non possint assequi.

Considera, inquires, etiam atque etiam quæ in Dictatis meis adduxi ex Proverbiorum octavo capite: *Numquid non Sapientia clamat, & providentia dat vocem suam? In summis excelsisque verticibus, supra viam*

de Ignorantia invincibili 19

in medijs semitis stans, intra portas civitatis, in ipsis foribus loquitur, dicens: O Viri ad vos clamito, & vox mea ad filios hominum, intelligite parvuli astutiam, & insipientes animadvertite.

Consideravi singula, & quidem attentè, semel, iterùm, tertio, sæpiùs; adivi etiam eruditissimos verbi Divini Expositores, sperans ab illis accipere lucis aliquid; sed non potui intelligere, id quod cupio doceri, nimirum, quemlibet hominem, quantumvis rudem, illuminari, atque cognoscere legem naturæ, quoad Conclusiones etiam à primis principijs remotissimas, tunc saltem quandò est operandum.

Consideravi etiam quæ in Dictatis adducis ex primo Capite Proverbiorum: *Sapientia foris prædicat, in plateis dat vocem suam: in capite turbarum clamitat, in foribus portarum urbis profert verba sua, dicens: Uique quò parvuli diligitis infantiam, & stulti ea, quæ sibi sunt noxia, cupient, & imprudentes odibunt scientiam? Convertimini ad correctionem meam: en proferam vobis spiritum meum, & ostendam vobis verba mea. Hinc jubes me colligere, Si modo nulla*

20 *Doctrina Gummariana*

forent, qua ex parte nostra obstarent, vel ab-
essent, tamen legem naturæ totam, saltem quoad
ea, quæ nos concernunt, sciremus omnes,
sicut scivit Adamus: Tentavi sæpius ex ijs
verbis hoc colligere; sed frustra fuit om-
nis conatus meus: obsecro te Doctor
Eximie, ac Magister optime, quo tu id
argumentandi artificio colligis ex istis ver-
bis? Artificium istud stupebo, quia mi-
rum; non tamen defugiam, licet novum,
si modò sit solidum.

§ 3.

*An ad peccandum formaliter
sufficiat voluntas, sive liber-
tas facti, nec requiratur vo-
luntas sive libertas peccati.*

Gummarus in dictatis publicis sæpe à
me laudatis Art. 8. Observ. 4. forti-
ter pugnat, invictam seu involuntariam
juris naturæ ignorantiam peccati maculam
hand abstergere: rationem dat: quia ex
ejusmodi ignorantia operantis affectus fer-

147

de Ignorantia invincibili 2^a

tur in objectum revera in se malum, quamvis malum esse ignoretur funditus: exemplum ponit in mentiente, qui mentiri esse prohibitum ignorat penitus, à peccato tamen haud est immunis. Nam in casu posito, inquit, vult ipsum mendacium, quod est res revera inordinata, & legi aeternae contraria, vult, ut ait Augustinus, voluntate facti, non voluntate peccati, id est vult factum, quod est inordinatum, & revera legi aeternae contrarium: censeat ergò ad peccatum propriè dictum, quod homini vitio datur, statuitque operantem culpæ, ac supplicij reum, satis esse quod sit voluntarium *Voluntate facti*, licet non sit voluntarium *Voluntate peccati*; seu sufficere, quod factum sit voluntarium, licet peccatum non sit voluntarium.

Quis non audivit aliquando illud Doctoris Angelici: *omne peccatum est voluntarium*: item illud S. Augustini: *usque aded peccatum voluntarium malum est, ut nullo modo sit peccatum, si non sit voluntarium*. Vox illa *Voluntarium* quo spectat? Nonne ad *Peccatum*? Si dubitas, adi Tyronem aliquem Theologum, adi unum è Philosophis; dicet prædicatum dici de subjecto: mens er-

22 *Doctrina Gummariana*

gò est Doctoris Angelici, ac Magni Patris Augustini, peccatum debere esse voluntarium, nec satis esse, quod factum sit voluntarium, si peccatum voluntarium non sit.

Præterea non ignoras Articulum hunc 46. damnatum esse in sensu Michaëlis Baij: *Ad rationem & definitionem peccati non pertinet voluntarium*: Sensus Baij idem est, qui tuus, ad peccatum non requiri, ut ipsum sit voluntarium voluntate peccati, aut docuissiam docuisse Bajum ad peccatum nequidem requiri, ut ipsum factum sit voluntarium.

Denique quæro ex te, nonne ad peccatum, etiam in statu naturæ lapsæ requiritur libertas à necessitate? Responde categoricè, aut respondebunt Innocentius X. & Alexander VII. qui in sensu Jansenij hæreseos damnarunt istud dogma: *Ad merendum & demerendum in statu naturæ lapsæ non requiritur libertas à necessitate*. Malo, inquires, respondere cum distinctione aliquâ ad quæstionem tam invidiosam: dico ergò, cum ita jubeant Pontifices Romani, ad peccatum requiri libertatem à necessitate, sed libertatem facti, non libertatem peccati.

de Ignorantia invincibili 23

ti. Acuta enimverò, ac nitida distinctio ad eludenda Sedis Apostolicæ decreta peridonea! Distinctio hæc placebit, ni fallor, multis, qui doctrinæ Baij adhærent pertinacius, eam tamen profiteri non audent tam apertè: certè vehementer illa placuit *Francisco van Viane*, qui 24. Martij. superiori anno 1681. defendendam proposuit hanc Thesim: *Absurdum est ad peccandum formaliter non sufficere libertatem facti, sed requiri libertatem peccati, quæ sine notitiâ malitiæ haberi non potest.* Insolens mihi apparet vox illa, *Absurdum*, quam toties audire cogimur Lovanij, nescio, an uspiam terrarum alibi inter homines bene moratos. Paucis mihi agendum hic est cum tuo *Francisco van Viane*, te Gummare iterum conveniam §. sequenti.

Domine *Francisce van Viane* ignorare non potes Sanctissimum Dominum Innocentium divinâ providentiâ Papam X P. nuperum suum decretum circa sexaginta quinque Propositiones. absolvisse in hunc modum:

Tandem ut ab injuriosis contentionibus Doctores, seu Scholastici, aut alij quicumque impo-

B §.

81133

24 *Doctrina Gummariana*

rum se abſtineant, & ut paci & charitati conſulatur, idem Sanctiſſimus in virtute ſanctæ Obedientiæ eis præcipit, ut tam in libris imprimendis, ac manuſcriptis, quàm in Theſibus, Diſputationibus, ac prædicationibus caveant ab omni cenſura, & nota, nec non à quibuſcumque convitijs contrà eas Propoſitiones, quæ adhuc inter Catholicos hinc inde controvertuntur, donec à Sanctæ Sede recognita ſuper iſdem Propoſitionibus judicium proferatur.

Nemo tam eſt novitiuſ in Theologia, qui neſciat etiamnum hodie controverti inter Scholaſticos, an ad peccandum formaliter, ſufficiat liberræ facti, quod docent pauci, an verò inſuper requiratur libertas peccati, ac proindè notitia malitiæ, quod contendunt Theologi, ſi paucos excipias, paſſim omnes.

Theſis, quam 24. Martij ſuperiori anno 1681. propugnavi Lovanij ità ſonat: *Abſurdum eſt, ad peccandum formaliter non ſufficere libertatem facti, ſed requiri libertatem peccati, qua ſine notitia malitiæ haberi non poteſt.*

Hoc eſt in Theſibus, ac Diſputationibus cavere ab omni cenſura & nota, nec

de Ignorantia invincibili 25

non à quibuscumque convitijs, contra eas Propositiones, quæ adhuc inter Catholicos hinc indè controvertuntur? An igitur non est nota, aut convitium aliquod, dicere Propositionem aliquam esse absurdam?

Ego certò mihi persuadeo cum Doctore Angelico, & Theologis passim omnibus, ad peccandum formaliter, non sufficere libertatem facti, sed insuper requiri libertatem peccati, atque adeò notitiam aliquam malitiæ; non ausim tamen ego paucorum oppositam Sententiam vocare absurdam: Si dicat *Franciscus van Vianen* me esse scrupulosum, quòd non ausim doctrinam aliquam inter Catholicos controversam absurditatis arguere; malo pati, ut quis me judicet scrupulosum, quàm ut non promptissimè obediam, ubi urget Præceptum Sanctissimi Domini, quem supremum in terris Christi Vicarium agnosco & veneror; mihi videtur hoc multò tutius: quare abstinerebo quocumque vel apparenti convitio: solummodò considerabo paululùm Propositionem hanc: *Ad peccandum formaliter sufficit libertas facti,*

26 Doctrina Gummariana

nec requiritur libertas peccati, quae sine notitia malitiae haberi non potest.

Sensum hujus propositionis opinor esse hunc: Ad hoc ut quis peccet formaliter, adeoque peccatum ipsi imputetur, satis esse quòd ponat vel omittat illum actum, qui prohibitus vel præceptus est, licet insuperabiliter nesciat prohibitum, aut præceptum esse. Non tam universaliter locutus est Jansenius in suo Pseudo-Augustino, ubi excepit actus prohibitos, & præceptos jure positivo: non ità Auctor Theses, qui universim loquitur, nihil excipiens, nihil distinguens. Ex hac doctrina quantum existimo,

Sequitur 1. Si quis insuperabiliter ignorans prohibitum esse vesci carnibus die veneris, liberè vescatur carnibus illo die, peccat formaliter: nam in casu adest libertas facti, liberè siquidem vescitur carnibus, quibus potest, si velit, abstinere; atqui absurdum est ad peccandum formaliter non sufficere libertatem facti, ut habet Thesis, ergò &c.

Sequitur 2. Formaliter peccasse, ac fornicatum esse Jacob, Gen. 29. quandò accessit

de Ignorantia invincibili 27

cessit ad Liam, quæ non erat ipsius uxor :
quia in casu fuit libertas facti , liberè enim
Jacob posuit illum actum , qui est forni-
carius , scilicet accessum ad mulierem non
suam ; poterat enim ad nullam accedere :
Absurdum est autem ad peccandum for-
maliter non sufficere libertatem facti : ab-
surdum est igitur asserere Jacob in casu
non peccasse formaliter . & tamen in casu
Jacob non peccasse formaliter , Sententia
est omnium, ni fallor, Sanctorum Patrum,
qui de hoc scripserunt : absurda est igitur
horum omnium Sententia , si vera est
Thesis.

Sequitur 3. Formaliter etiam peccare
illum , qui nequidem voluntariè facit pec-
catum : nam si quis invincibiliter nescius
fornicationem esse peccatum . liberè for-
nicetur , peccabit formaliter , quia habet
libertatem facti , etsi careat libertate pec-
cati , & tamen in casu *voluntariè quidem*
facit fornicationem , inquit Doctor An-
gelicus q. 3. de malo a. 8. *sed non volunta-*
riè facit peccatum : In casu ergò peccatum
non est voluntarium . Quid ergò ad Au-
gustinum lib. de vera Religione cap. 14.

28. *Doctrina Gummariana*

Usque adeo Peccatum voluntarium malum est, ut nullo modo sit peccatum, si non sit voluntarium, quam Sententiam adeò non retractavit Sanctissimus Doctor, ut l. 1. Retract. cap. 13. de illa dixerit: Si diligenter discutiatur, invenitur esse verissima. Diligentiusne discussit Auctor Theseos, & inventa est absurda?

Sequitur 4. Ad rationem & definitionem peccati non pertinet voluntarium, qui est Articulus 46. inter damnatos in sensu Baij.

Confectarium est manifestum, quia peccatum potest esse, sic tamen ut non sit voluntarium, ut vidimus ad confectarium præcedens, id verò sine quo potest esse peccatum, non pertinet ad ejus definitionem, ut cuivis est notum. Dicit fortasse Auctor Theseos ad rationem & definitionem peccati non quidem pertinere voluntarium peccati, pertinere tamen voluntarium facti, sicque conabitur evadere: sed non evadet umquam, nisi doceat Bajum, in cujus sensu Articulus est damnatus, negasse ad peccatum requiri voluntarium facti, id autem docebit numquam.

de Ignorantia invincibili 29

Fateor invenire me in S. Augustino lib. 1. Retract. cap. 25. peccatum quod est voluntarium *voluntate facti, non voluntate peccati*; sed nulquam invenio peccatum illud esse formale, quod deputari potest ad culpam, de quo tamen agit Thesis.

Sequitur 5. Si liberè forniceris, sed invitus ignoras id esse peccatum, peccas formaliter, adeoque meritò id tibi deputatur ad culpam, meritoque pœnas dabis: contrà tamen pronuntiat S. Augustinus lib. de natura & gratia cap. 67. *Non tibi deputatur ad culpam quod invitus ignoras, & S. Bernardus Hom. 13. in Epist. ad Rom. Si ignorantes illi peccavere, indigni quidem erant qui pœnas darent.*

Sequitur 6. Peccari etiam formaliter in eo, quòd caveri omninò non potest. Contrà quam docet S. Augustinus lib. 3. de lib. arb. cap. 18. *An tanta fallacia est, ut caveri omninò non possit? Si ita est, Nulla peccata sunt; quis enim peccat in eo, quod nullo modo caveri potest? Peccatur autem; caveri igitur potest.*

Confectarium mihi apparet liquidum & nam qui insuperabiliter nescit fornicatio-

30 *Doctrina Grammaticiana*

nem e. g. esse peccatum, formaliter potest peccare, liberè ponendo actum fornicationis, ut docet Thesis: Atqui in casu peccatum *caveri* non potest: fieri quidem potest in casu, ut quis non fornicetur, vel quia non est occasio, vel quia non lubet, vel denique aliam ob causam, sed non videtur hoc ipsum cautelæ adscribendum, ita ut cavisse dicatur: non enim dicimur cavere, nisi quod nobis apparet malum, quod in casu non fit. Sic qui cæcus est, non potest cavere foveam, etsi casu fieri possit, ut in foveam non cadat, sed hoc non ipsius cautelæ, sed fortunæ est adscribendum.

Sequitur 7. Non posse dari actum amoris, nedum timoris, qui excludat omnem voluntatem peccandi: nam cum quovis actu amoris etiam perfectissimo stare potest voluntas faciendi illud, in quo nulla apparet ratio mali.

Sequitur 8. Peccatorem laborantem ignorantia, quantumvis insuperabili cujuscumque præcepti, suscipere non posse eam animi dispositionem, quæ voluntatem peccandi excludat: nam detestatio nulla excludat

clu-

de Ignorantia invincibili 31

eludere potest voluntatem id faciendi,
quod omninò ignoratur esse peccatum:
quod mihi apparet manifestum.

Sequitur 9. Ejusmodi peccatorem, ma-
nente istâ ignorantia, numquam posse ju-
stificari, nec per charitatem Dei super
omnia, nec per Sacramentum quodcum-
que, nec per ipsum Martyrium: numquam
scilicet eam potest acquirere animi dispo-
sitionem, quæ omnem peccandi volunta-
tem excludat: hæc tamen animi dispositio
ad justificationem est omninò necessaria.

Sequitur 10. Irritas esse confessiones;
omnes, quas durante illâ ignorantia insti-
tuit peccator: irrita namque est omnis
confessio, quam non comitatur contritio
aliqua, sive perfecta, sive saltem imperfecta
voluntatem peccandi excludens.

Sequitur Deniquè isti homini desperati-
onis aperiri abyssum.

Eximie *Franciscae van Viane*, hæc Co-
rollaria mihi visa sunt fluere ex modestâ
tuâ hac Thesi: *Absurdum est ad peccandum
formaliter non sufficere libertatem facti, sed
requiri libertatem peccati, qua sine notitiâ ma-
litiæ haberi non potest.*

An factâ Hypothesi quod Ignorantia aliqua juris naturæ sit involuntaria, operans ex illâ excusetur à peccato?

OMnis Ignorantia juris naturæ Gummario est semper voluntaria, & quidem voluntate cujusque propriâ: *Nostra*, inquit, *sententia est, quod ejusmodi ignorantia semper sit voluntaria, idque à voluntate nostrâ propriâ.* Hic saltem Jansenio dissentire videri possit: nam Jansenius ut rationem voluntarij inveniatur in quâvis ignorantia juris naturæ, sæpius recurrit ad voluntatem Adami, illam in propriâ cujusque voluntate non semper inveniens; At verò multò sagacior Adversarius rationem voluntarij in quâvis ignorantia juris naturæ invenit in voluntate cujusque propriâ; dissentire ergo videri possit Jansenio.

Sed credere non possum tam facilè eum vel in uno puncto recedere à Jansenio, quem in omnibus reliquis presso sequitur
vesti-

de Ignorantia invincibili 33

vestigio: suspicor latere fraudem aliquam in hisce verbis: *Idque à voluntate nostrâ propriâ*: verba hæc, alias minimè ambigua, videri possunt duplicem, pati sensum, quando inveniuntur apud Doctorem suspectum: Quare velim clarè edisseras, an voluntatem nostram propriam accipias, prout existit in nobis hîc & nunc viventibus, an veró, prout extitit aliquando in Adamo. Si prius, agnosco ac profiteor palàm, te in uno hoc puncto discedere à Jansenio; si posterius, obscure quidem loqueris, sed clarè Jansenio assentiris.

Sed vah me suspicacem! Nolo suspicionibus dare locum: Accipiam verba, ut possunt accipi, sensu à Jansenij mente alienissimo: Sententia ergo Viri Eximij hæc est; Omnis ignorantia juris naturæ semper est voluntaria, idque à voluntate nostrâ propriâ, pro ut illa existit in nobis hîc & nunc viventibus, nec opus est recurrere ad voluntatem Adamî, ut perperam voluit Jansenius: ex quâ sententiâ manifestè consequitur, si in materia juris naturæ tam variâ, tamque implexâ erraverit usquam S. Augustinus, S. Thomas, S. Bonaventura, ignorantia illa ipsis semper fuit

34 *Doctrina Gummariana*

voluntaria, idq; à voluntate ipsorum propriâ, si in ignorantia illâ decesserint, debuerunt strictissimo Judici ignorantia illius voluntariae rationem reddere: *Nostra enim sententia est, inquit Gummarius, quod ejusmodi ignorantia semper sit voluntaria, idq; à voluntate nostrâ propriâ.* Sententia hæc si vera sit, non miror, quæ habet *Obsev. 6. Quare generaliter & indefinitè asserimus numquam totaliter, & ab omni culpâ excusari, quisquis egerit contra jus natura.*

Videtur Gummarius timuisse ne longius obduxerit suos discipulos à doctrinâ Jansenij, asserendo omnem juris naturæ ignorantiam esse voluntariam, & indè concludendo, nullam excusare, quasi illa excusaret, si non esset voluntaria. Ut hanc à se suspicionem amoveret, proposuit aliquam quæstionem, ad quam ipse respondet *Obsev. 4.* quam sic orditur: *Cum Observatione secunda dictum sit, quod omnis ignorantia legis naturalis dum ex illa agitur contra jus natura, sit voluntaria, sequitur quod omnis actio libera contra jus natura habeat saltem aliquam culpam. Verum petes an ex opposito antecedentis vicissim sequatur oppositum consequentis, id est, an supposito quod ejusmodi*

de Ignorantia invincibili 35

ignorantia non esset voluntaria, sequeretur quod actio indè procedens non esset peccatum.

Resp. Hanc secundam consequentiam non videri subsistere.

Mihi certè apparet Responsio hæc nimis jejuna, ad Quæstionem tam celebrem, in scholis tantopere agitatum; Respondet simpliciter, consequentiam illam non videri subsistere: ignorantia non est voluntaria, ergo actio indè procedens non est peccatum, scilicet formale, sive quod possit operanti merito imputari ad culpam, aut pœnam; ita enim peccatum intelligunt, quos impugnat Doctor Eximius: Multis tamen apparet ea consequentia irrefragabilis: cur non adducit argumenti quidpiam, quo appareat vitium aliquod istiusmodi consequentiæ?

Dicet fortassis, responsionem esse purè negativam, ut vocant, hanc non debere probari, satis esse quod nitidè diluantur argumenta, quæ opponuntur.

Acquiesco penitus; sed in objiciendis sibi argumentis fuit admodum parcus: tantum sibi objicit argumenta duo; poterat sibi objicere multò plura, quæque ur-
gèrent

36 *Doctrina Gummariana*

gèrent magis: sed Vir industrius illa tantum sibi objecit, ad quæ videbatur posse respondere utcumque in speciem, alia reliquit intacta; Ego defectum hunc supplebo: alia ipsi objiciam argumenta ad quæ expectabo responsum: Prius consideremus quid responderit ad duplex quod sibi objecit argumentum, & quam illud nitidè diluerit.

Objicies, inquit, quæ fiunt ex juris positivi, aut facti ignorantia, si hæc non sit voluntaria, sunt inculpabilia. Resp. Disparitatem esse magnam: nam in his affectus agentis ferri potest in objectum indifferens, vel in objectum honestum, ut si occidas hominem involuntariè putans esse feram, vel si in bello justo commilitonem, errore non voluntario persuasus esse hostem: etenim in his illud ipsum est objectum affectus, quod est cognitionis, nimirum occidere feram vel hostem: secus dum agitur ex ignorantia juris naturæ, ut si quis mentiatur officiosè, & si existimet hoc licitum, etenim tunc affectus objectum est res ex se inordinata, & legi naturæ contraria, etiamsi inordinatio & contrarietas ad legem æternam lateat ipsum agentem: nam in casu posito vult ipsum mendacium, quod est res reverà inordi-

BATA

de Ignorantia invincibili 37

nata, ac legi aeternæ contraria, vult ut ait Augustinus, voluntate facti, non voluntate peccati, id est vult factum quod est inordinatum, & reverà legi aeternæ contrarium, sed cum nesciat esse peccatum, non ita propriè censetur velle peccatum: & quamvis velit ex ignorantia, quæ supponitur non esse voluntaria, vult tamen ex ignorantia per peccatum originale scilicet introductâ.

Pace tuâ dixerim, responsio hæc tua est suprâ modum verbosa, sed nervosa parum, nitorem habet nullum: Ais inter illa, quæ fiunt ex ignorantia juris positivi aut facti, & illa quæ fiunt ex ignorantia juris naturæ, utràque involuntariâ, disparitatem esse magnam; Ajo ego, disparitatem esse nullam, quæ ad rem faciat. Disparitatem ponis in eo, quòd affectus operantis ex ignorantia juris positivi, aut facti possit ferri in objectum indifferens, vel etiam honestum; non item affectus operantis ex ignorantia juris naturæ.

Primò, ut intelligamus an quis peccet, non tam oportet considerare, in quid possit ferri, quàm in quid feratur ipsius affectus: non enim quis peccat ex eo, quòd affectus

38 *Doctrina Gummariana*

affectus possit ferri, sed quòd feratur in malum: aliàs heu! nimium infelix esses ipse, si reus fores habendus omnium peccatorum, in quorum objectum ferri potest tuus affectus. Sed parum hoc est, facere tamen poterat ad responsionem nitidam.

Secundo: Ponamus te dixisse affectum operantis ex ignorantia juris positivi, & facti, ferri in objectum indifferens, vel etiam honestum, ideoque excusari à peccato. Rem hanc declaras duplici exemplo, unius, qui occidit hominem, quem putabat esse feram, alterius occidentis Comilitonem, quem putabat esse hostem. Res postulabat, ut unum saltem exemplum pertineret ad ignorantiam juris positivi; sed utrumque spectat ignorantiam facti.

Corrigamus hunc defectum: statuamus exemplum Christiani sine justa ratione comedentis carnem die veneris, scientis quidem esse diem veneris, invictè tamen ignorantis comestionem carnis die illo esse prohibitam: Addamus jam exemplum operantis ex ignorantia legis naturæ,

de Ignorantia invincibili 39

v. g. mentientis officiosè, qui invitus ignorat id esse lege naturæ vetitum: Duo hîc habemus exempla, alterius operantis ex ignorantia juris positivi, alterius operantis ex ignorantia juris naturæ, utriusque ignorantia ponitur esse involuntaria. Nunc ego demonstrare aggredior, duo hæc procedere pari passu, atque adeo disparitatem quam adducis esse nullam.

Ais affectum mentientis officiosè ferri in objectum malum. Ajo affectum comedentis carnem in casu ferri in objectum malum.

Probas: Quia affectus mentientis officiosè fertur in mendacium. Probo & ego: Quia affectus comedentis carnem fertur in comestionem carnis.

Urget: Atqui mendacium à parte rei est prohibitum licet mentiens hoc nesciat. Urgeo & ego: Atqui comestio carnis à parte rei est prohibita, licet comedens hoc nesciat.

Instas. Mentiens in casu vult mendacium quod reverà legi æternæ est contrarium. Insto & ego, comedens in casu vult comestionem quæ reverà legi Ecclesiasticæ est contraria.

C

In-

40 *Doctrina Gummariana*

Instas insuper : Mendacium in casu est voluntarium voluntate facti, licet non voluntate peccati. Insto insuper & ego : Comestio in casu est voluntaria voluntate facti, licet non voluntate peccati.

Viden Eximiè Gummare, quàm bellè hæc procedant pari passu? Viden disparitatem esse nullam, quam ajebas esse *magnam* inter operantem ex ignorantia juris positivi, & operantem ex ignorantia juris naturæ?

At, inquires, Mendacium non potuit non fuisse vetitum : Comestio autem carnis potuit non fuisse prohibita, ergò est disparitas magna.

Resp. Non negare me disparitatem esse magnam, mendacium inter & comestionem carnis : Nego disparitatem esse ullam quæ hîc faciat ad rem : nam quamvis comestio carnis potuerit non esse prohibita, positâ tamen prohibitione, tam est prohibita, quàm mendacium, atque adeò comedens tam fertur in rem reverà prohibitam, quam mentiens officiosè ; tantùm excusatur ex eo, quod invitus ignoret comestionem esse prohibitam, quo eodem

de Ignorantia invincibili 41

dem titulo excusari contendo mentientem officiosè, si invitus ignoret mendacium esse vetitum.

Quidquamnè prætereà tibi occurrit ad urgendam disparitatem, quam ostendi hæctenus esse nullam?

Imò verò, inquis, Ignorantia juris naturæ per peccatum originale est inducta, non item ignorantia juris positivi, mirum ergò non est, quòd hæc non illa excuset à peccato; cùm tanta inter utramq; disparitas sit.

Hæctenus Gummare processimus tam pacificè, nunc me fugis, atque te abdis in cubile Jansenij: J præ, mox te sequar: nunc breviter respondeo, ad rem non pertinere, undè oriatur ignorantia, modò statuatur esse involuntaria, per hanc enim fit, ut peccatum non sit voluntarium, quod tamen est de ratione peccati, uti contra Bajum nos docuerunt Pontifices Romani.

Audiamus quid responsi dederit Gummarius ad aliud argumentum quod sibi objecit hoc modo.

Secundo objicies: in regeneratis ipsum peccatum originale cum ignorantia pœnali inde subsequente est retractatum.

C 2

Respon.

42 *Doctrina Gummariana*

Respondetur, quæ sunt ex defectu gratiæ efficaci, sive adjutorij quo, sunt reverà culpabilia, nec excusantur idcirco, quia peccatum originale est retractatum. Ergò &c. à pari.

Vin disparitatem? Hanc accipe brevem & claram: Deficiente gratiâ efficaci, potest adesse gratia sufficiens per quam peccata possunt vitari, adeoque hæc manent libera, non mirum ergò quòd & culpabilia: deficiente autem cognitione peccati, peccatum non est voluntarium, adeoque nec peccatum. Placet disparitas? Negabis, sat scio, cum Jansenio gratiam sufficientem, quæ non sit efficax, convenire statui naturæ lapsæ: sed audiemus te de hoc iterum, & alibi, ubi de gratia.

§ 5.

Argumenta 12. pro Ignorantia invincibili juris naturæ excusante à peccato.

EXimie Domine, ajs in Dictatis publicis non videri tibi subsistere hanc consequentiam: actio proficiscitur ex ignorantia

de Ignorantia invincibili 43

norantiâ juris naturæ involuntariâ ; ergò non est peccatum , scilicet propriè dictum sive quòd operanti meritò vertatur vitio. Silentio premis rationem , cur tibi hæc consequentia non videatur subsistere , ego suspicor esse , quia illam cum Calvino negavit Jansenius : ne tamen nihil fecisse videreris , objecisti tibi argumenta duo , ad quæ videbaris respondere posse , saltem in speciem , allegando disparitatem unam , & alteram , quam capere quidem possent Discipuli , sed quæ ad solvendam difficultatem nihil admodùm conferret. Questus sum te in excogitandis argumentis pro sententia tam celebri nimium fuisse sterilem , ac parcum , dixi hunc tuum defectum velle me supplere ; nunc meam liberabo scilicet lem.

ARGUMENTUM PRIMUM.

OMne peccatum debet esse voluntarium ; nam teste S. Augustino lib. 1. retract. c. 13. *Usque adeò peccatum voluntarium malum est , ut nullo modo sit peccatum , si non sit voluntarium.* Et 1. de vera Rel. c. 14. *Hoc ità manifestum est . . . quòd nullo modo*

44 Doctrina Gummariana

modo sit peccatum, si non sit voluntarium. . . .
ut nulla Doctorum paucitas, nulla indoctorum
turba dissentiat. Nec ergò dissentiet, opi-
nor, Doctor Gummarus, ratio est, quia,
sicut ad rationem hominis pertinet esse ra-
tionalem, adeò ut homo vel cogitari non
possit, qui non sit rationalis, ità ad ra-
tionem & definitionem peccati pertinet
voluntarium; quod tamquam indubita-
tum habet Doctor Angelicus quæst. 3. de
malo art. 8. Dicendum (inquit) quod cum de
ratione peccati sit, quòd sit voluntarium &c.
Item 1. 2. q. 74. art. 3. In actu voluntario,
& inordinato consistit ratio peccati: Undè in-
ter Articulos à tribus Pontificibus Roma-
nis Pio V. Gregorio XIII. & Urbano
VIII. damnatos, vulgò Bajanos, hic
est 46 Ad rationem & definitionem peccati
non pertinet voluntarium; nec definitionis quæ-
stio est, sed causa & originis, utrum omne
peccatum debeat esse voluntarium.

Jam verò ut peccatum sit voluntarium,
debet adesse scientia peccati: ità nos do-
cet S. Thomas 1. 2. q. 6. art. 1. Volunta-
rium dicitur esse secundum definitionem Aristo-
telis, & Gregorij Nysseni, & Damasceni,

de Ignorantia invincibili 45

non solum, *cujus principium est intrà, sed cum additione SCIENTIA: Hinc S. August. lib. 3. de lib. arbit. c. 19. & lib. de Nat. & Grat. cap. 67. Peccatum illud dicimus, quod proprie vocatur peccatum, liberà enim voluntate, & à SCIENTE committitur.*

Porro quando quis operatur quidpiam, quod re ipsâ legi naturæ adversatur, sed operans invitus nescit naturæ legi adversari, tunc non adest scientia peccati, tunc non à *sciente committitur*; Ergo tunc non est voluntarium peccatum, adeoque nec magis propriè peccatum, quàm homo, qui non est rationalis, fit homo: *Manifestum est, inquit Doctor Angelicus 1. 2. q. 19. a 6. quòd illa ignorantia, quæ causat involuntarium, tollit rationem boni & mali moralis*; Tollit igitur rationem peccati, quod est malum morale. Istud tibi argumentum poteras objicere, sed responsio non occurrebat commoda.

ARGUMENTUM SECUNDUM

SI ignorantia juris naturæ involuntaria non excuset à peccato, fieri potest ut in statu naturæ lapsæ peccet quispiam ne-

46 Doctrina Gummariana

cessariò, ità ut non habeat libertatem à necessitate, adeoq̄ue *Ad demerendum in statu nature lapsa non requiritur libertas à necessitate*, quæ est doctrina, quam hæreseos damnarunt in sensu Jansenij Innocentius X. & Alexander VII. Casus est, quandò abstinere v. g. à fornicatione per ignorantiam involuntariam proponitur alicui ut malum: illo siquidem casu peccabit necessariò: nam necessarium est ut vel fornicetur, vel abstineat à fornicatione; si fornicetur, peccat, quia pōnit actionem, quam prohibet natura; ignorantia autem quantumvis involuntaria, non excusat à peccato, si Adversario credimus; Si abstineat à fornicatione, nihilominùs peccat, quia affectus illius fertur in illud, quod à ratione proponitur ut malum; peccat ergò necessariò, nec peccatum effugere potest in casu, nisi simul fornicetur, simulq̄ue à fornicatione abstineat, quod fieri non posse nemo non videt; imò etiamsi fieret, quod fieri non potest, nondum peccatum effugeret, peccaret namq̄; simul fornicando, simulq̄ue abstinendo à fornicatione, adeoq̄ue in casu peccatum vitari

de Ignorantia invincibili 47

vitari non potest, ne positâ quidem conditione impossibili; peccabit ergò in casu magis necessariò, quàm Beati ament Deum, quia ab amore cessare possunt, positâ saltem conditione impossibili, ideoque amant liberè, & quidem libertate à necessitate ut docet is contrà quem disputamus.

ARGUMENTUM TERTIUM

Cogitemus hominibus quibusdam justis proponi, fornicationem tamquàm lege charitatis præceptam, per ignorantiam omninò involuntariam, hoc est, quam etiam volentes, & conantes secundùm præsentem quas habent vires superare non possunt, licet possint absolutè saltem per gratiam, quam non habent, sed à Deo accipere possunt: Illo casu hominibus illis justis præceptum est non peccare, præceptum autem illud ipsis est impossibile, secundùm præsentem, quas habent, vires; nam sive fornicentur, sive non fornicentur, quorum tamen alterutrum fieri est necesse, necessariò peccant, præceptum ergò non peccandi in casu est.

48 *Doctrina Gummariana*

impossibile, deest quoque illis gratia, quâ possibile fiat, nam præceptum illud ipsis fieri non potest possibile, nisi per gratiam, quâ in casu possint superare ignorantiam: hæc autem gratia illis deest, hanc enim si haberent, ignorantia ipsis non esset omninò involuntaria. Similes porrò casus possum cogitare plures: Concludo ergò invictissimè: *Aliqua Dei præcepta hominibus iustis volentibus, & conantibus secundum præsentem quas habent vires, sunt impossibilia, deest quoque illis gratia, quâ possibilia fiant.* En Propositionem tertiam ex famosis illis quinque, quas in sensu Jansenij Hæresios damnarunt Supremi Christi in terris Vicarij Innocentius X. & Alexander VII. Expectabo responsum.

ARGUMENTUM QUARTUM

PER Sacramentum Pœnitentiæ remitti possunt peccata omnia actualia propriè dicta, quæ homo post Baptismum commisit, exceptâ unicâ impœnitentiâ, quam vocant, finali, quæ, cum non nisi morte compleatur, mirum non est illam
per

de Ignorantia invincibili 49

per Sacramentum illud non posse expiari, cum post mortem homo Sacramentum illud non possit suscipere. Hic est unanimsensus Theologorum omnium, etiam tuus, ni fallor, licet Methodum Sacramentum illud administrandi tradideris perdifficilem, si non penitus impossibile: idem ille sensus est omnium fidelium, ipsiusq; aded Ecclesiae universae. Atqui peccatum ex ignorantia juris naturae omnino involuntaria commissum per Sacramentum Pœnitentiæ remitti non potest; Ergo non est peccatum propriè dictum. Consequentia hæc regulis Dialecticæ est planè conformis, adeoque legitima; Consequens igitur est verissimum, si veræ sint Propositiones ambæ, ex quibus illud deduxi: priorem probat sensus Ecclesiae; alteram Synodus Tridentina Sess. 14. c. 8. Ubi docemur, cur per Sacramentum Pœnitentiæ non perindè, ac per Baptismum remittatur absque ulla satisfactione omnis pœna simul cum culpa: Verba Synodi sunt hæc: *Divina Justitia ratio exigere videtur, ut aliter ab eo in gratiam recipiantur, qui ante Baptismum per ignorantiam deli-*

50 *Doctrina Gummariana*

querint: aliter verò, qui semel à peccati,
& dæmonis servitute liberati, & accepto
Spiritus Sancti dono, **SCIENTER** Templum
Dei violare, & Spiritum Sanctum contristare
non formidarint. Ecce Tridentina Syno-
dus significat non obscure, quòd homi-
nes per illa peccata, quæ Pœnitentiæ
Sacramento expiantur, Templum Dei
SCIENTER violarint, & Spiritum San-
ctum contristaverint, hancque esse ra-
tionem, cur aliter per hoc Sacramentum
quàm per Baptismum in gratiam recipian-
tur: Jam verò, quis dicet, quòd per pec-
catum contra legem naturæ ex ignoran-
tia planè involuntaria commissum, homo
SCIENTER templum Dei violarit, **SCIENTER**
TER Spiritum Sanctum contristaverit, cum
nequidem sciverit se peccare, idque quod
operabatur, legi naturæ adversari igno-
raverit invitus? Non est ergò recensend-
um inter illa peccata, quæ Sacramento
Pœnitentiæ expiantur, non est igitur pec-
catum propriè dictum. Expectabo res-
ponsum.

AR-

ARGUMENTUM QUINTUM

UT aliquid sit peccatum propriè dictum, quod operanti vitio vertatur, debet esse ejusmodi ut possit caveri: ità namque pronuntiat S. Augustinus l. 3. de lib. arb. c. 18. *An tanta fallacia est, ut caveri omninò non possit? Si tanta est, nulla peccata sunt. Quis enim peccat in eo, quod nullo modo caveri potest? Peccatur autem, caveri igitur potest.* Nunc verò ità formo argumentum: Invidus nesciens legem aliquem naturæ, peccatum illi repugnans cavere non potest: Fieri quidem potest, ut actionem legi contrariam non exerceat, cavere tamen illam non potest: plus aliquis significat cavere, quàm actionem non ponere: sic cæcus potest quidem non occurrere urso v. g. cavere tamen illum non potest. Quomodò cavebo hostem, si penitùs ignorem, an, quis, aut qualis meus sit hostis? Si ex ignorantia penitùs involuntaria certò mihi persuadeam fornicationem v. g. certis quibusdam circumstantijs mihi lege charitatis esse præceptam, quomodò illam cavebo?

Quid me movebit, ut illam fugiam? An lex illam prohibens? At illam invitus ignoro, imò de illa ne suspicor quidem, imò judico legem vetantem nullam esse, judico esse jubentem: Fornicationem ergò in casu cavere non possum, licet possim non fornicari; fornicatio igitur in casu peccatum non est. *Quis enim peccat in eo, quod nullo modo caveri potest?*

ARGUMENTUM SEXTUM

SI actio legi naturæ contraria statuat hominem, qui legem illam invitus ignorat, verè coram Deo criminis reum, supplicioque obnoxium, homo ille justificari numquam potest ullo modo, saltem quãdiu ignorãtia involuntaria perseverat; non per Sacramentum Baptismi, non per Sacramentum pœnitentiæ, non etiam per Martyrium; nam nullo ex his medio justificari potest sine contritione, juxtà illud Tridentini Sess. 14. c. 4. *Fuit autem quorũ tempore ad impetrandam veniam peccatorum hic contritionis motus necessarius.* Contritio porrò debet involvere propositum non peccandi de cœtero, debetque excludere volun-

voluntatem peccandi; atqui ejusmodi contritionis motum elicere numquam potest homo, de quo agimus: Nam quamcumq; contritionem illum cogitaveris elicuisse, cum illâ poterit stare voluntas peccandi, sive ponendi illam actionem, quam invitus ignorat, legi esse contrariam: imo si ex ignorantia involuntaria certò mihi persuadeam fornicationem v. g. in certis quibusdam circumstantiis lege charitatis mihi esse præceptam, omnis mea contritio necessario tacitè involvet voluntatem in istis circumstantiis fornicandi, adeoque peccandi; tantum aberit ut voluntatem peccandi excludat. Hinc est

CONSECTARIUM I. Confessiones omnes istius hominis sunt irritæ: nam caruit contritione verâ, cujus defectu confessio est irrita.

CONSECTARIUM II. Confessiones omnes sunt iterandæ: nam Confessio irrita est iteranda.

CONSECTARIUM III. Confessiones durante ignorantia iteratæ, rursus sunt irritæ deficiente contritione verâ, quæ haberi non potest dum ignorantia perseverat

§4 *Doctrina Gummariana*

verat; iterandæ sunt igitur iterum, tertio, sæpius, nihil unquam valituræ: En Carnificinam conscientiarum.

Quæ igitur spes salutis homini miserrimo? Eliciat, inquires, Charitatem Dei super omnia in gradu quodam perfectissimo: At quæ potest? Caritas necessariò includit voluntatem seriam numquam graviter offendendi Deum, quem amat super omnia: Caritas autem istius hominis involvet propositum committendi fornicationem in ijs circumstantijs, in quibus ex ignorantia minime voluntaria iudicat se lege charitatis obstringi ad fornicandum. Erit igitur Caritas illa voluntas peccandi, atque adeo charitas nulla. Quodnam igitur suggeris remedium animarum Medice? Nihil ego isti homini superesse video præter abyssum desperationis, undè emergat numquam. Expectabo ut suggeras remedium aliquod.

ARGUMENTUM SEPTIMUM

AD HOMINEM.

Gummarus in sua Methodo, docet, Sacerdotem extrà casum necessitatis abso-

de Ignorantia invincibili 55

absolutionis beneficium impertiri non posse, nisi moralem habeat de pœnitentis dispositione debitâ certitudinem: Ad dispositionem debitam requiritur vera cordis contritio, ad minus imperfecta; hæc obtineri non potest, quamdiu ignorantia perseverat legis alicujus naturalis etiam involuntaria, ut superiori argumento docuimus. Sacerdos ergo extrâ casum necessitatis numquam absolvere potest pœnitentem, nisi moralem habeat certitudinem, nullam ipsum habere ignorantiam etiam involuntariam eorum, quæ jubet, aut vetat lex naturæ.

Ecquando vero Sacerdos moralem habebit certitudinem, quod pœnitens, minime etiam rudis, depulerit ignorantias omnes juris naturæ tam varij, tamque implexi, in tantâ varietate materiarum, Justitiæ, Charitatis, Religionis, Castitatis, aliarumque virtutum? Opinor numquam: numquam igitur secluso casu necessitatis absolvere pœnitentem potest Sacerdos.

Te te appello Gummare; tunc moralem habes certitudinem, depulisse te ignorantias omnes juris naturæ tam multiplicis, tam implexi? Temerarius sis, si affirmes

56 *Doctrina Gummariana*

de te, quod de se affirmare non fuisset ausus Doctor ipse Angelicus, aut Magnus Pater Augustinus. Quâ igitur fronte absolutionis audes beneficium postulare? An fortè postulas numquam? Differisque donec casus occurreret necessitatis: aut si extrâ casum necessitatis absolutionem postulas aliquando, quis te Sacerdos tuis imbutus principijs (ab alijs opinor non postulabis) quis, inquam, Sacerdos tua instructus Methodo absolutionem audet impertiri?

Oculos profecto sibi effoderit qui non videat, quam justam, quam accomodatam nuper 28. Augusti Censuram tulerit Sacra & Apostolica Inquisitio Hispana adversus tuam Methodum remittendi & retinendi peccata, tamquam complectentem propositiones temerarias, & doctrinam quæ posset fideles abstrahere à suscipiendo, & Sacerdotes ab administrando Sacramento Pœnitentiæ.

Quid ad hanc Censuram Inquisitionis Apostolicæ tam justam, tam nitidam? Ipsum loquentem non audivi: Fama publica est ipsum illam contemnere tamquam protrusam à quibusdam Monachis, dixisse quod

de Ignorantia invincibili 57

quod Romanus Pontifex vehementissimè indignatus velit censuram cassam esse, ac nullam, Mirari se vehementissimè, ausos fuisse Inquisitores censuram ferre adversus illam suam Methodum, quam Roma probavit autoritate Sedis Apostolicæ. Hæc & similia fert fama publica: Ego tamen famæ quantumvis publicæ non credo facile: Quidquid sit, miror ego, tam sæpè, tam palam, tam constanter proclamari, Methodum Gummarianam Romæ Sedis Apostolicæ autoritate esse approbatam; cum approbationis illius nullum uspiam appareat vestigium.

Non ignoro Methodum illam fuisse canonizatam Lovanij publicè impressis Thesisibus ab Eximio Domino *Francisco van Viane*; sed istiusmodi canonizatio morari non debuit Apostolicam Inquisitionem Hispaniæ, quantumvis virum illum factio veneretur, tamquam suum Caput in Belgio, quale caput fuit in Gallijs *Antonius Arnaldus*, sed jam caput extorre. Proclament Gummaristæ, per me licet, approbationem istam *Francisci van Viane*, sed fileant de approbatione Sedis Apostolicæ,

58 *Doctrina Gummariana*

licæ, usque dum aliquod saltem istius appareat vestigium.

Non est damnata, inquit, ergo est probata. An non sit damnata in Petro de Osma, in Marco Antonio de Dominis, alijsve damnatis Capitibus, viderint alij: dico ego, vitiosam esse hanc consequentiam: non est damnata; ergo est approbata: en similem: Compendium Gummari, non est damnatum, seu potius sic: non est damnatum iterum (scilicet post tempora Jansenij, Baij, Calvini, Lutheri aliorumque) ergo est approbatum: nego consequentiam; probent Gummariistæ: nos interim placidè progrediamur.

ARGUMENTUM OCTAVUM.

SI primo homini, vel Angelis, cum primùm fuere creati ex parte intellectus defuisset scientia legis naturæ sine sua culpa cecidissent, uti sine culpa juxta Augustinum cecidissent, si ex parte voluntatis defuisset illis adiutorium, sine quo perseverare non potuissent. Verba sunt Gummari in Dictatis publicis art. 8. Obs. 4. ex quibus ita concludo: Ergo & nos, si nobis omninó. invitis ex parte

in.

de Ignorantia invincibili 59

intellectûs desit scientia legis naturæ, sine culpa nostra cadimus, uti indubiè sine culpa caderemus, si ex parte voluntatis deesset nobis adiutorium sine quo perseverare non possumus: etenim illi sine sua culpa cecidissent, quia peccatû ipsi fuisset involuntarium, ideò autem involuntarium quia incognitum, ideò incognitum, quia ex parte intellectûs defuisset illis scientia legis naturæ; atqui supponimus jam nobis etiam, & quidem maximè invitis, ex parte intellectûs scientiam deesse legis naturæ; ergò & nobis peccatum est involuntarium; ideò autem involuntarium quia incognitum, ideò incognitum quia ex parte intellectûs deest nobis scientia legis naturæ; ergò & nos sine culpa nostra cadimus, uti indubiè sine culpa caderemus, si ex parte voluntatis deesset nobis adiutorium sine quo perseverare non possumus, si enim desit adiutorium, sine quo perseverare non possumus, cadimus necessariò, si cadimus necessariò, sine culpa cadimus; quod si neges, apertissimè impingis in dogma istud hæreticum: *Ad merendum, & demerendum in statu naturæ lapsæ non requi-*

60 *Doctrina Gummariana*

quiritur libertas à necessitate, Nec religionem præstas obedientiam Constitutionibus Innocentij X. & Alexandri VII. quam tamen promisisti toties, testem appellans ipsum Deum, qui corda scrutatur & renes. Responde si potes.

ARGUMENTUM NONUM.

Ignorantia juris positivi, quemadmodum & facti, quando penitus est involuntaria, peccati culpam arcet omnem, ergo & ignorantia juris naturæ, si & ipsa sit involuntaria. Negat consequentiam in Dicitatis Gummarius. Ait disparitatem se dedisse magnam: ostendi § 4. disparitatem esse nullam, ajo paritatem esse summam: nam ideo ignorantia juris positivi, & facti, quando est involuntaria, excusat operantem ex illa, quia ignorantia causat involuntarium; atqui & ignorantia juris naturæ, quando est involuntaria, causat involuntarium, ergo tam hæc, quam illa excusat à peccato. Cedo micã disparitatis.

ARGUMENTUM DECIMUM

Ignorantiam quamcumque involuntariam, justam præbere excusationem
ope-

de Ignorantia invincibili 61

Operanti ex illa, videtur docere lumen ipsum rationis Jansenianâ nondum fuligine obscuratum: fortissimum hinc sumi posse argumentum sensit ipse Jansenius, qui libri secundi de statu naturæ lapsæ Caput quartum sic orditur: *Sed hinc gigantea occurrit moles, & ut videtur nodus insolubilis, qui fieri possit, ut ex invincibili ignorantia peccatum possit proficisci. Quis enim capiat, ut homo in eo peccet, quod neque scit, neque scire potuit, nec voluntate suâ sive volente, sive torpescente, talis ignorantia causam dedit?* Hujusmodi enim peccata jam non erunt nequidem voluntaria, quod ad peccati rationem omninò necessarium est; sed necessaria. Et quis credat, tale portentum doctissimum, sanctissimumque Virum docere potuisse? Si te benigne Lector, ista difficultas fortè moveri, profectò movet & me. Ista tamen difficultas non movet Gummarum, movet tamen genus omne hominum quantumvis etiam barbarum, qui censent meliorem ac justiore peccatis exculationem obtendi non posse, quam ignorantiam invictam, aut involuntariam. Contra censet Gummarus non excusare ignorantiam juris naturæ, quantumvis

62 *Doctrina Gummariana*

tumvis involuntariam; *Non excusantur ergò, inquit in dictatis publicis, etsi plenè ignorent, sive etsi pro certo habeant quod non agant contra illud.*

ARGUMENTUM UNDECIMUM.

SI Ignorantia quantumvis involuntaria non excuset operantem id quod naturæ legi adversatur, idq; sic operanti possit vitio dari, suspicor ad peccandum non requiri usum rationis, posse proindè peccare formaliter infantem etiam triennem; ut quid enim requiratur usus rationis, nisi ut discernatur inter bonum & malum, sive inter honestum ac turpe? Atqui ad peccandum formaliter non requiritur, ut vult Adversarius ut cognoscatur malum sive turpe; satis esse ait, quod affectus operantis feratur in id, quod revera est turpe, sive naturæ legi contrarium, etsi operans invitus nesciat illud esse turpe, sive naturæ legi repugnans: potest autem affectus etiam infantis rationis usu etiamnum destituti ferri in objectum reipsâ legi naturæ contrarium, potest infans illud velle voluntate facti,

de Ignorantia invincibili 63

facti, licet non voluntate peccati, quod ad peccandum ait ille non requiri.

Infans, inquit non agit humano modo; fateor: ast ideó non agit humano modo, quia non discernit inter bonum ac malum, inter honestum ac turpe. Suspicio autem ego istud non requiri; si vera est doctrina Gummari, si fallat, si inanis est suspicio, cupio doceri.

ARGUMENTUM DUODECIMUM

Incidit mihi vereri Eximie Gummare ne, si plura congeram argumenta, animum abjicias respondendi ad singula, quí in Dictatis ad Argumentum unum aut alterum, quod videbaris tibi commodè posse solvere, respondisti tam infeliciter: superfedebó itaque argumentis reliquis, ne te nimíam multitudíne videar velle obruere. Unum tamen illud præterire non possum quod ab autoritate desumitur.

Nuspíam mihi videtur Jansenius locutus magis candidè, ac verè, quàm cum dixit: *Generale videtur Scholasticorum pronuntiatum esse, quòd quidquid ex invin-*

D

cibz

64 Doctrina Gummariana

cibili sit ignorantia hoc ipso culpâ caret: habes ergò generale Scholasticorum pronunciatum iudicio ipsius Jansenij.

Habes tres Supremos Christi in terris Vicarios, qui in sensu Baij proscripterunt hunc Articulum 46. *Ad rationem & definitionem peccati, non pertinet voluntarium, nec definitionis questio est; sed causa & origo; utrum omne peccatum debeat esse voluntarium:* Censent ergò Christi Vicarij peccatum debere esse voluntarium: voluntarium autem non est, si non sit cognitum, cognitum verò non est, si ignoretur penitus.

Vin SS. Patres? compendio exhibeo paucos. S. Aug. lib. 3 de lib. arb. c. 19. *Non tibi deputatur ad culpam quod invitus ignoras, sed quòd negligis quærere quod ignoras.* Idem repetit l. de Nat. & Grat. c. 67.

Idem Aug. in Enarratione Psalmi 57. initio: *Manu Formatoris nostri in ipsis cordibus nostris veritas scripsit: quod tibi non vis fieri, ne facias alteri. Hoc & antequam lex daretur, nemo ignorari permissus est, ut esset undè judicarentur, & quibus lex non esset data.* Pondera hæc verba: *Hoc* (pertinens indubiè ad legem naturæ) *Nemo ignorare*

de Ignorantia invincibili 65

norare permissus est, Cur? ut esset undè judica-
rentur. Si ergò ignorassent non fuisset undè
judicarentur. Idem Aug. l. 3 de lib arb.
c. 18. *An tanta fallacia est, ut caveri omninò
non possit? Si ità est, nulla peccata sunt. Quis
enim peccat in eo quod nullo modo caveri po-
test? Caveri certè à me non potest, quod
invius ignoro. Idem Augustinus de vera
Relig. c. 14 U que adò peccatum volunta-
rium est malum, ut nullo modo sit peccatum,
si non sit voluntarium. Porò peccatum non
est voluntarium, si non sit cognitum, cog-
nitum non est, ubi abest cognitio.*

S. Chrysostronus Hom. 13 in Epist.
ad Romanos, ad illud Apostoli: *Quod
enim ago, non intelligo: ità scribit: Quid
hoc est, non intelligo, ignoro? Et quandò hoc
accidit? Nemo enim unquam in ignorantia
peccavit, vides, quod, nisi cum diligenti cir-
cumsp. Etione dictiones ipsas deligamus, & ad
Apostoli scopum mentemq; attentius respiciamus
fore ut hinc absurditates infinitæ consequantur.
Nam si ignorantes illi peccavere, indigni
quidem erant, qui pœnas darent.*

S. Bernardus lib. de Præcepto ac Dis-
pensatione ità tibi objicit: *Sed homines,*

D 2

inquis

66 Doctrina Gummariana

inquis, facile falli in Dei voluntate de rebus dubijs percipiendâ, & in præcipienda fallere possunt. Atque ita respondet: Sed enim quid hoc refert tua, qui conscius non es: Apertissimè S. Bernardo reponere posset Gummariista quispiam: multùm meâ refert, nam licet conscius non sim, nihilominùs imputabitur ad culpam, si obediam prælato mihi præcipienti quidpiam, quod naturæ legi adversatur; ita me docet Gummarius.

Placet audire Theologos? Sed quid est opus? Cùm illi ipsi, quorum sententiam sequitur Gummarius, fateantur Theologorum passim omnium hanc esse sententiam, quòd ignorantia, si sit invincibilis, siue involuntaria, excuset operantem ex illâ: *Generale*, inquit Janienius, *videtur Scholasticorum pronuntiatum esse, quòd quidquid ex invincibili sit ignorantia, hoc ipso culpâ caret.* Lutherus in caput 12. Geneseos ita pronuntiat: *Scholastici invincibilem ignorantiam dixerunt excusabilem, qua simpliciter à toto excuset, id est, peccatum prorsùs tollat. Tanta cæcitas est in Papæ scholis Hanc cæcitatem è Papæ scholis dispellere non potuit*

de Ignorantia invincibili. 67

potuit Lutherus, neque Jansenius, neque dispellet Gummarus, quantum mihi persuadeo; non patietur Theologorum Princeps qui 1. 2. q. 76. art. 3. sic loquitur: *Si verò sit talis ignorantia, qua omninò sit involuntaria, sive quia est invincibilis, sive quia est ejus quod quis scire non tenetur, talis ignorantia omninò excusat à peccato.* Item art. 4. *Dicendum, inquit, quòd quia omne peccatum est voluntarium, in tantum ignorantia potest diminuerè peccatum, in quantum diminuit voluntarium: Si autem voluntarium non diminuit, nullo modo diminuit peccatum. Manifestum est autem, quòd ignorantia, quæ totaliter à peccato excusat, quia totaliter voluntarium tollit, peccatum non minuit, sed auferit.* Principem suum sequuntur Scholastici reliqui (intelligo illos, qui versantur in Papæ scholis) quare ijs recensendis nolo tempus terere, cum fatentes habeamus ipsos Adversarios.

Gummarus in Dictatis publicis quæst. 19. Art. 6. Obs. 14. non patitur Theologos omnes suæ sententiæ refragari: quid enim? *Quòd ejusdem, inquit, cum Augustino (Iprensi ni fallor) sententiæ HODIE*
D 3 *fit*

68 *Doctrina Gummariana*

fit schola Lovaniensis, tam est evidens, ut neminem latere possit. Non sine ratione adjunxit illam particulam HODIE ut discrimen aliquod poneret inter Scholam Lovanientem, quæ est HODIE & inter illam quæ fuit quondam orbe toto celeberrima: non ignorabat contrariam sententiam quondam in schola Lovaniensi tradidisse, ac contra Hæreticos fortiter propugnasse Viros verè Eximios, Adrianum, Joannem Beets, Ruardum Tapperum, Joannem Molanum, Joannem Wiggers, Joannem Malderum, Guilielmum Mercorum, Godscalcum Rosemondum, Joannem Hefselium, ac Thomam Leonardi, quorum Testimonia accuratè adnotavit Guilielmus le Maire in statera Saülis Ex-regis Sectione 2. cap. 3. §. 2. Nos unum ex omnibus audiamus Thomam Leonardi Doctorem Lovanientem, ac Thomistam egregium, qui l. 2. de hominis instit. c. 7. nervosè oppugnat Jansenianum dogma de Ignorantia invincibili juris naturæ non excusante à peccato. „Existimo, inquit, sententiã hanc nullum habere fundamentum in D. Hieron. aut Aug: vel
Con-

de Ignorantia invincibili 69

„ Concilio Palestino, & esse in se falsam,
„ & ad nihil aliud idoneam, quàm ad ge-
„ nerandum multas anxietates, & perplexi-
„ tates in timoratis conscientijs. Primò
„ quia necessariò peccabis, utramvis par-
„ tem contradictionis elegeris, quandò ex
„ invincibili errore putas, aliquid esse præ-
„ ceptum, quod reverà repugnat legi na-
„ turæ Secundò ingens orietur per-
„ plexitas animorum: cum enim sint plu-
„ rimi contractus, & innumerabiles casus,
„ in quibus controvertitur inter Docto-
„ res, an in ijs reperiatur aliquid contra
„ legem naturæ, vel non, & utrimque sint
„ probabiles opiniones, sequitur, quòd
„ conformans se probabili opinioni, vel
„ etiam probabiliori dictanti id licere, casu
„ quo juxta legem naturæ non liceat, pec-
„ cet coràm Deo, etiamsi adhibuerit om-
„ nem diligentiam Undè sequere-
„ tur quòd in pertinentibus ad legem na-
„ turæ homines semper tenerentur, sequi
„ partem tutiorem, etiamsi opposita lon-
„ gè esset probabilior quàm autem
„ hæc absurda sint, patet consideranti.

Possent hinc imitari D. Huygens, ac

70 *Doctrina Gummariana*

dicere: quòd ejusdem cum Augustino (Hipponensem ego intelligo) sententiæ antiqua fuerit Schola Lovaniensis, tam est evidens, ut neminem latere possit: certè non latuit Gummaram, qui idcirco appellare tantùm est ausus Scholam Lovaniensem, quæ est *HODIE*.

Eximie Domine, supplevi defectum tuum in excogitandis argumentis omnino duodecim, quæ tibi potuisses objicere in Dictatis, tuum erit respondere ad singula, sed clarè ac nitidè, ut decet Theologum.

S. 6.

An Ignorantia juris naturæ involuntaria ideò non excuset, quia per peccatum originale est introducta.

IN Dictatis publicis Art. 8. Observ. 4. I rationem adfers Gummare nitidam, cur peccans ex ignorantia juris naturæ involuntaria à peccato non sit immunis, quia nimirum vult illud, quod reverà est
rino-

de Ignorantia invincibili 71

inordinatum, ac malum, & *Quamvis velit ex ignorantia, quæ supponitur non esse voluntaria, vult tamen ex ignorantia per peccatum, originale scilicet, introducta.*

Insignem hanc subtilitatem accepisti à Cornelio Jansenio lib. 2. de statu naturæ lapsæ cap. 6. ubi indagat radicem arcanæ suæ doctrinæ de ignorantia juris naturæ invincibili non excusante, quam Col. 312. cœcitatem appellat, quamque in plerisque hominibus quoad naturæ leges à primis naturæ principijs remotiores statuit esse invincibilem, *Quia tamen, inquit, pœna peccati est (nimirum originalis) quidquid ex illa cœcitate perperam fit, sine peccato non fit.* En radicem doctrinæ Jansenianæ: ignorantia juris naturæ invincibilis non excusat, quia pœna est peccati originalis, vel, ut Gummarus loquitur, quia *Per peccatum, originale scilicet, introducta.*

Nunc verò, ne iterum conqueratur Gummarus doctrinæ suæ auctorem designari Jansenium, cui fortè non vult cedere ejusdem facultatis Doctor, audiamus Hieronymum Zanchium Jansenio for-

D 5 rassis.

72 *Doctrina Gummariana*

tallis famosior: vir ille disciplinâ tûm
 Calvini, tûm Lutheri accuratè institutus
 Tract. Theol. lib. 1. cap. 12. de Ignora-
 tione Dei Thesi 1. cum multis dilseruilset
 de Ignorantia, ità concludit: *Summa:*
omnis ignorantia eorum, quæ quis scire te-
netur, peccatum est: quia um lege, quâ ju-
bermur illa cognoscere, pugnat: sive ea cog-
noscere, jam possis, sive non possis. Quod enim
jam non possis, peccato Adæ, quod & tuum
est, quia in eo omnes peccaverunt, factum est.
 Quare falluntur Scholastici, cum talem ig-
 norantiam, quam invincibilem vocant idèd
 à peccato excusant, quia invincibilis est, ut
 loquuntur: quamquam evincere etiam possumus
 eam non esse simpliciter invincibilem, cum vo-
 luntarium Adæ peccatum sit consecuta. En
 ubi radicem arcanae suæ doctrinæ invenire
 potuerit Jansenius: undè acceperit Gum-
 marus, an ex Jansenio, an ex Hierony-
 mo Zanchio, norit ipse.

Sed quoniam juxtâ Augustinum radi-
 cem effodere atque extirpare compendium est,
 Jansenianæ hujus doctrinæ radicem succi-
 damus breviter ac succinctè.

Ait cum Jansenio Gummarius ignoran-
 tiam

de Ignorantia invincibili 73

tiam juris naturæ etiam involuntariam à peccato non excusare, quia originalis peccati pœna est, sive quia introducta per peccatum originale, Atqui Amentia, Furor, Phrenesis, & corporalis Cœcitas per peccatum originale sunt introducta, sive sunt pœnæ illius, ut ex Augustino pluribus probat ipse Jansenius lib. 3. de statu puræ naturæ cap. 11. cui hunc præfigit titulum: *Nullum qualecumque malum inferri à Deo potest creaturæ rationali sine culpa. Luculenta Augustini testimonia.* Concludamus: Ergò nec amentia, nec furor, nec phrenesis, nec corporalis cœcitas excusat à peccato. Quæ istinc Corollaria Gummare? Amens se polluat, Furibundus occidat hominem, Phreneticus sibi ipsi elidat caput, Cœcus à nativitate, dum allatrantem nititur abigere canem, casu interficiat infantem: omnes hi criminis sunt rei, nemo excusatur, omnes supplicio sunt obnoxij; non excusat Amentia, non Furor, non Phrenesis, non Cœcitas, quæ omnia sunt mala Jansenio ipso teste, per peccatum originale introducta: ergò non magis exculant, quàm ignorantia

74 *Doctrina Gummariana*

juris naturæ involuntaria, quæ ideò præcisè non excusat, quia per peccatum originale est introducta.

Ulteriùs ità arguo: ideò juxtà Adversarium ignorantia juris naturæ involuntaria non excusat à peccato, quia pœna peccati est: atqui aliqua etiam ignorantia juris positivi involuntaria pœna peccati est: ergò aliqua etiam ignorantia juris positivi involuntaria non excusat. Negabit consequentiam: invictissima est tamen, modò constet nobis de Propositione secunda, quam probo auctoritate Doctoris Angelici, & magni Patris Augustini. Verba Doctoris Angelici hæc sunt 2. 2. q. 10. art. 1. *Si infidelitas accipiatur secundum negationem puram, sicut in illis, qui nihil audiverunt de fide, non habet rationem peccati, sed magis pœna, quia talis ignorantia Divinorum ex peccato primi Parentis consecuta est.* Verba S. Augustini sunt Epist. 105. ad Sixtum: *Ignorantia in eis, qui intelligere (legem Evangelij) noluerunt, sine dubitatione peccatum est, in eis autem, qui non potuerunt, pœna peccati.*

Intelligis, opinor Gummare, ex sensu
Docto-

de Ignorantia invincibili 75

Doctoris Angelici, ac S. Augustini invictam Evangelij, atque adeò legis positivæ ignorantiam esse pœnam peccati: nunc tibi superest, ut vel unum producas testimonium, quo probes involuntariam juris positivi non perindè ac juris naturæ ignorantiam esse pœnam peccati, sive per originale peccatum esse introductam; hoc ni feceris, fatearis candidè, nullam esse, quam ajebas magnam disparitatem inter ignorantiam juris naturæ, & juris positivi involuntariam, quasi illa ideò non excuset, quia per peccatum originale est introducta. Nullum porrò ejusmodi testimonium inventurum te in S. Augustino, vel inde colligo, quòd Jansenius, qui se jactat in S. Augustino evolvendo artem ferè omnem contrivisse, & lectioni assiduæ universorum librorum ejus iterum iterumque sæpiùs repetitæ, per viginti duorum annorum spatium fuisse immersum, quòd inquam ille Jansenius in toto Augustino testimonium inveniret nullum ad stabiliendam arcanæ suæ doctrinæ radicem in eo sitam, quòd invicta juris naturæ, non verò juris positivi

76 *Doctrina Gummariana*

aut facti ignorantia sit pœna peccati. Fa-
tendum est igitur non minùs ignorantiam
juris positivi, quàm juris naturæ pœnam
peccati esse, aut ostendendum est contra-
rium, quod ostendetur numquam. Con-
clusio itaque sit, aut utraq̃ue excusat, si
sit involuntaria, aut neutra.

S. 7.

*An docentes quidpiam contra
jus naturæ excuset igno-
rantia involuntaria.*

Operantes quidpiam legi naturæ con-
trarium Gummaro sunt prorsus in-
excusabiles, nulla ipsos excusat ignoran-
tia, tum quod ejusmodi ignorantia semper sit
voluntaria, idque à voluntate nostra propria,
tum quia, ut esset aliqua involuntaria, vim
tamen abstergendi omnem peccati macu-
lam non haberet ullam: tam certum est
ergo supplicio aliquem esse dignum, quam
est certum, fecisse ipsum aliquid, quod
re ipsa naturæ legi adversatur, sit puer, sit
adultus, potuerit cavere, non potuerit, sci-
verit

de Ignorantia invincibili 77

verit naturæ legi adversari, non sciverit, perinde est.

At verò quid censendū de Doctoribus, si & hos errare contingat circa jus naturæ, quando docent alios? Respondetur (inquit Obs. 5. ex matt. 15. probari, quod nec hi excusentur: dicitur enim illic, quod in tali casu ipsi docentes cæci sunt, & duces cæcorum, & additur: cæcus autem si cæco ducatum præstet, ambo in foveam cadunt. Fateor, consequenter hic docet, seu errat potiùs: etenim docere contrà jus naturæ, est quoddam agere contrà naturæ legem, quæ vetat doceri illa, quæ sibi adversantur. Fatendum est tamen miserrimam esse conditionem Doctorum, si vera docet Gummarus: quid enim? Postquam annos multos chartis impalluerunt Viri ingeniosissimi, omnemque adhibuerunt conatum atque industriam, si tamen, quod est pronum, in materia juris naturæ tam variâ, tam implexâ illos errare contigerit uspiam, pretium laboris non habere aliud, quam ut vocentur *cæci, & duces cæcorum*, nil superesse, quam ut cum discipulis, quos docuerunt, cadant in foveam, numquam indè, si erro-

rem

78 *Doctrina Gummariana*

rem ante mortem non detegant, ac retractent, emerfuri: profectò si ista est causa Doctorum, expedit officium illud nunquam assumere, nedum aspirare ad illud.

Per tuam Methodum remittendi & retinendi peccata, Gummare Sacerdotes absterres ab administrando Sacramento Pœnitentiæ humanæ conditioni tam necessario: per doctrinam hanc de Ignorantia, vereor ne abhorrere facias omnes à munere docendi, quod tamen quàm necessarium sit, ostendit Christus, qui in Ecclesia sua posuit Doctores, quibus tamen non concessit Privilegium errandi nuspam, etiam in ijs, quæ pertinent ad jus naturæ.

Nemo nescit, Viros doctissimos pariter ac Sanctissimos varia docuisse pertinentia ad jus naturæ, quæ sibi post diligens studium, multasque ad Deum fusas preces, videbantur docenda, alios tamen Doctrinâ ac Sanctitate non inferiores, post diligens æque studium, post preces itidem ad Deum fusas docuisse contraria, ac contradictoriè opposita; aut hos aut illos errasse, est necesse; vocandi sunt ergò

de Ignorantia invincibili 79

gò aut hi aut illi *Cæci, & duces cæcorum*; dicendum aut hos aut illos cum ijs, quos docuerunt, cecidisse in foveam. Doctor Angelicus docuit posse Judicem illum, quem privatâ scientiâ certò novit innocentem, si publicis instrumentis probatus sit nocens, fatali supplicio condemnare: pertinet indubiè doctrina hæc ad jus naturæ: Doctorem Angelicum sequuntur Thomistæ omnes: Sententia hæc ob auctoritatem tantam censetur ab omnibus probabilis, si tamen, quod censent pluri- mi, erraverit in hoc Doctor Angelicus, & consequenter erraverint fidelissimi ejus Discipuli, appellandus est Doctor Angelicus *Cæcus & dux cæcorum*: vocandi sunt Thomistæ, & quidem testimonio ipsius Christi, *cæci & duces cæcorum*, dicendum est omnes cecidisse in foveam: profectò nimium durus est hic sermo; Gummare, per Deum obtestor, aliquid saltem excogita, quo leniatur sermo tam durus.

Miratus sum vehementer, ac stupui, quandò in Dictatis publicis Doctoris hujus legi Articuli octavi Observationem sextam

80 *Doctrina Gummariana*

sextam satis prolixam, quâ probare nititur Christum de Doctoribus quibusvis per ignorantiam contra ius naturæ docentibus pronuntiasse *cæci sunt & dures cæcorum*.

Summa hæc est: Scribæ ac Pharisei *Matt. 15. v. 5.* Docebant populum, quod egeni etiam parentes à filiis sint repellendi, quando alimoniam postulant vitæ suæ necessariam, hoc religionis prætextu, ac sanctitatis fuce, quod bona sua velint Deo consecrata, à quo bona omnia proveniunt, simulque præscribebant aptam formulam, quâ licere aiebant tuto repellere Patrem miserrimâ egestate oppressum: formula autem erat hæc: *Munus quodcumque est ex me tibi proderit*: quasi quis diceret: Mi Pater stipem à me postulas vitæ tuæ sustentandæ necessariam, ego verò munus quodpiam offeram Deo per Sacerdotes, quo munere placatus optimus Deus extremam, quâ premeris, egestatem sublevabit. Id quod brevius nos dicimus: Deus te adjuvet. Ita sordidi Pharisei religionem avaritiæ suæ prætexentes, eleemosynas egenis parentibus jure naturali debitas, suis cupiditatibus consecrabant, atque hac ratione
irricum

de Ignorantia invincibili 81

irritum faciebant, hoc est exautorabant, antiquabant, abrogabant, aut saltem eludebant Mandatum istud omnibus filiis ab ipso Deo atque à naturâ impositum: *Honora Patrem & Matrem*. Scribas istos atque Phariseos vocabat Christus nomine suo Hypocritas, cæcos & Duces cæcorum.

Hoc Gummaro confirmandæ suæ doctrinæ visum est peridoneum: quare inde quoad rem ipsam (nam verbosior hic est, quam ut lubeat omnia describere) inde inquam sic argumentatur: Scribæ ac Pharisei testimonio ipsius veritatis æternæ cæcerant & Duces cæcorum, quia populum ignoranter instruebant, ac illud docebant, quod naturæ legi adversabatur; ergo Doctores quicumque ignoranter docent, quæ naturæ legi sunt contraria, cæci sunt testimonio ipsius Christi, & Duces cæcorum: Ut autem argumento huic vim addat majorem, de doctrinâ istâ Phariseorum sic loquitur: *Huic sententiæ nec deerant rationes intrinsecæ, nec deerat extrinsecæ auctoritas, habebat proinde intrinsecam probabilitatem, & etiam extrinsecam; nisi forte potius dicendum, quod habuerit plus quam probabilitatem: tum varia adducit, quæ ipsi visa sunt doctrinæ*

82 *Doctrina Gummariana*

Pharisæorum posse conciliare probabilitatem, imo plus quam probabilitatem, quæ mihi legenti, fatebor candidè, occurrebat identidem hæc cogitatio: quando Doctor publicè illa dictabat in scholâ, aut mentem amiserat, aut frontem. Quid enim? Ulline homini mentis compoti, potest incidere, doctrinam Pharisæorum tam apertè falsam, rationis lumini tam manifestè repugnantem vocare probabilem, imo plus quam probabilem, ac proindè moraliter certam, indeque velle concludere, Doctores quoslibet quamlibet doctos, quamlibet sanctos, quantumcumque ad assequendam veritatem allaborarint, ac sudarint, si tamen eos per ignorantiam omninò involuntariam docere quidpiam contigerit legi naturæ contrarium, esse cæcos, esse Duces cæcorum? Quid cogitabant discipuli, dum hæc scribebant? Sed ignoscamus; passio aliqua prædominans virum abripuit, adversus illos, quos per contemptum vocat probabilistas; postquam enim prædominans hæc passio resedit paululum, & mentem recepit, excogitavit nonnulla, quæ ex ignorantia docentes quidpiam contra naturæ legem

de Ignorantia invincibili 83

legem possent excusare, non quidem
omni ex parte, sed tamen aliquo modo.
Inter alia hoc expressit Observ. 10. Mul-
tum prætereà ad excusandum accedet, si lu-
benter fateantur, sese, utpote homines, in
hoc si a natura lapsæ constitutos, in doctrinis
suis, etiam contra jus naturæ errare posse, &
quod sequaces ipsorum, si contra jus naturæ
agant, propter illam doctrinam non excusa-
buntur in totum. . . . utrumque proinde meo
rui facit, quilibet docens; quod proinde meo,
& mei Principalis nomine lubenter per præ-
sentes facio.

Palam enim profiteamur, nos ab erroribus
omnibus, etiam contra jus naturæ, non ita
esse immunes, quin in aliquos per ignorantiam
errores incidere possimus. Monemus prætereà,
quod non in totum excusabuntur, si qui prop-
tereà agant contra jus naturæ.

Habes Lector benevole professionem
publicam Doctoris Gummari circa quam
occurrunt mihi dubia nonnulla, de quibus
Virum ipsum consulo.

1. Quis est ille tuus *PRINCIPALIS*,
cujus nomine hoc profiteris palam? An
Franciscus van Viane, cujus tunc temporis
in

84 *Doctrina Gummariana*

in docendo supplebas vices ; an verò *Cornelius Jansenius*, è cujus *PSEUDO-AUGUSTINO* sumpsisti pleraque, quæ tunc docebas præsertim de libertate, ut demonstravit *Gerardus van Viane*.

2. Quare similiter non es professus palam, antequam in lucem protulisti tuam *Methodum remittendi & retinendæ peccata*? Forlan excusationem aliquam invenisses apud Apostolicam Inquisitionem Hispaniæ.

3. Quo argumento probas professionem istam publicam habere multum ponderis ad excusandum illum, qui ex ignorantia contrà naturæ legem aliquid docet? Audi Lector ipsius responsum: eleganter istud probat per interrogationem: *Quis enim dubitet, quis ad excusationem venditis rem vitiosam, & periculofam contribuat, si hic, quantum potest vitium manifestet, & præterea Emptorem de periculo admoneat?* Argumentum hoc vocant Scholastici argumentum à paritate rationis. Quæ verò hîc est species, aut umbra paritatis? Venditor hîc ponitur vitium, ac periculum, quod est in mercibus, manifestare *quan-*

tum

de Ignorantia invincibili 85

tum potest, adeoque si quod lateat vitium ignaro Venditore, ignorantia hæc est omninò invincibilis, ac involuntaria, estque ignorantia facti: docens verò in casu quidpiam contrà naturæ legem, ponitur legem hanc ignorare quidem, sed voluntariè voluntate ipsius docentis: nam generale est istud pronuntiatum Gummari juris naturæ *Ignorantia semper est voluntaria, idque à voluntate nostra, propria.* Quæ ergò hæc species argumenti à paritate rationis, cum paritas sit nulla, disparitas immentia? ut esset paritas aliqua, deberet cogitari venditor ille vitium aliquod, aut periculum latens in mercibus ignorare voluntariè, idque voluntate suâ propriâ, sed quam tunc exultationem merebitur venditor?



[Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.]

* * * * *

152

APPENDIX

DE

IGNORANTIA

GUMMARI HUYGENS

Circà Angelos Tutelares.

IN famoso suo Compendio ità scribit Gummarus pag. 9 *Regna & Provincia, item Diœceses, & verissimiliter etiam Civitates, ac minores quædam communitates, habent Angelum Custodem: talem habent electi & FORTE etiam reprobi.* Quid sibi vult istud FORTE? Particula est aut dubitantis, aut certè timidè affirmantis.

Eximie Gummare in tuo compendio, in Di&ctatis publicis, in famosa tua Methodo, ubique appares in affirmando promptus, ac intrepidus, ne dicam præceps, in ijs etiam, quæ à communissima SS. Patrum Sententia, à Theologorum omnium Doctrina, imò à sensu omnium

E ho.

hominum abhorrent maximè; quid te in hâc materiâ justo fecit timidiorè? Cur non intrepidè pronuntias cum Theologorum Principe Doctore Angelico 1. p. q. 113. a 3. Respondeo dicendum, quòd *SINGULIS HOMINIBUS* singuli Angeli ad custodiam deputantur. Item art. 4. *QUOLIBET HOMINI*, quamdiu viator est, custos Angelus deputatur. Ne verò dubites, an sub quolibet homine comprehendat etiam reprobum ità mox subdit: Quando autem iam ad terminum viæ pervenerit, jam non habebit Angelum Custodem: sed habebit in Regno Angelum conregnantem, in inferno Dæmonem punientem. Tum verò ad tertium, inquit, dicendum quòd præsciti (ad damnationem) & infideles, & etiam Antichristus non privantur interiori auxilio naturalis rationis: ità etiam non privantur exteriori auxilio toti naturæ humanæ divinitus concesso, scilicet Custodiâ Angelorum. Vides, opinor, quòd ex mente Doctoris Angelici, qui in affirmando minimè est præceps, singuli absolutè homines, etiam reprobi, etiam infideles, habeant Angelum Custodem, ipse etiam habiturus sit Antichristus

quor-

quorū ergo tuum istud dubitantis, aut
hæsitantis, FORTE etiam reprobi?

Si tamen auctoritas Principis Theolo-
gorum tibi non videbatur sufficiens, ad
supprimendum tuum istud FORTE, adire
potuisses, ac consulere Sanctos Patres,
qui incredibili consensu, sine hæsitazione
ullâ pronuntiant, singulis hominibus ad
custodiam singulos deputari Angelos.

In promptu erat S. Hieronymus, qui
Commentario in Matthæum ad illud:
Angeli eorum &c. ita scribit: *Magna dig-
nitas animarum, ut VNA QUÆQUE ha-
beat ab ortu natiuitatis in custodiam sui
Angelum delegatum.*

Item lib. 18 in Isaia 66. *Quod autem
VNUSQUISQUE NOSTRUM habeat An-
gelos, multa Scriptura docent.*

S. Basilius lib. 3. contra Eunomium
in Principio: *Quod vero SINGVLIS FI-
DELIVM adsit Angelus, ut Pedagogus qui-
dam, & Pastor ad vitam dirigendam, nemo
contradicet, qui verborum Domini recordatur
dicentis: ne contemnatis &c.* En quoad sin-
gulos fideles, inter quos indubiè plurimi
sunt reprobi, nemo contradicet. Quid er-

gò hæsitās Gummare? Quid titubas? Quò spectat tuum illud FORTE?

S. Isidorus lib. 1. de summo bono cap. 12. *OMNES HOMINES Angelos habere probatur.*

Venerabilis Beda in Act. 12. Quòd *VNSQVISQVE NOSTRUM* habeat Angelum, & in libro Pastoris, & in multis S. Scriptura locis invenitur.

S. Anselmus in Elucidario post med. *VNAQVÆQVE* etiam anima dum in corpus mittitur, Angelo committitur &c.

S. Chrysostronus in Epist. ad Coloss. cap. 1. Hom. 3. in med. *VNSQVISQVE* enim fidelis habet Angelum.

Theodoretus in Gen. Quæst. 3. Cum Christus Dominus dixerit, *SINGVLOS HOMINVM* subesse singulorum Angelorum procuratori.

Eusebius Cæsariensis lib. 13. de Præp. Euang. cap. 7. Angelum *VNICVQVE* ad custodiam divinitus datum, à Scriptura nos didicimus.

Origenes Homil. 20. in Num. Adest *VNICVQVE NOSTRVM*, etiam minimis, qui sunt in Ecclesia Dei, Angelus bonus, Angelus Domini &c.

APPENDIX. 91

Petrus Damiani Opusc. 23. cap. 4.
UNICUIQUE NOSTRUM à die baptismatis
usque ad obitum delegatus est Angelus &c.

Theophilactus in cap. 18. Matt. ad il-
 lud *Angeli eorum &c.* **OMNES** enim **HO-**
MINES, & *maximè fideles*, *suos Angelos*
habent.

In promptu sunt plura plurium **SS. PP.**
 luculentissima testimonia, sed illa, quæ
 congeffi, videri possunt sufficere ad expun-
 gendum è tuo Compendio insolens tuum
 istud **FORTE**. Dic intrepidè, ac confiden-
 ter, sine dubitatione ullâ: Angelum custo-
 dem habent electi, habent etiam reprobi;
nemo contradicet: ita spondet S. Basilius,
 nemo, inquam, contradicet, nisi Discipuli
 famosissimi illius Hæresiarchæ Joannis
 Calvini, qui l. 1. inst. c. 14. §. 7. dixit in-
 certum esse quod singulis hominibus sin-
 guli Angeli deputentur, verba ipsius sunt:
An singulis fidelibus singuli Angeli sint attributi
ad eorum defensionem pro certo asserere non au-
sim. Nolo ego suspicari tuum illud **FOR-**
TE profluxisse ex fonte tam impuro. Istud
 tamen suspicionem posset movere ali-
 quam, quod ex eodem fonte in tuum

Compendium, ac Dictata videantur profluxisse dogmata non pauca: ego tamen suspicionem hanc nitor amovere, quantum possum, quis enim sibi persuadeat Doctorem eximium, qui inter Catholicos vivit Lovanij in ditione Regis Catholici, plus existimasse deferendum Calvino dubitanti, an singulis hominibus singuli deputati sint Angeli, quam Doctori Angelico Theologorum Principi, istud cum omnibus ferè SS. Patribus affirmanti, tam indubitanter, sine hæsitatione ullâ? Mirari interim satis non possum ex quo capite tibi venerit in mentem custodiam Angelorum restringere ad solos Electos, ac dubitare an extendenda sit ad reprobos, ad quos tamen illam extendunt SS. Patres, unanimiter pronuntiantes singulis hominibus singulos Angelos ad custodiam esse deputatos, quam sententiam, ait Franciscus Suarez Societatis JESU Theologus admodum celebris l. 6. c. 17. nu. 8. *Esse Catholicam, tanto consensu Ecclesie universalis receptam, & in Scripturâ, prout à Patribus intellecta est, tam magnum habere fundamentum, ut sine ingenti temeritate, & ferè errore negari non possit.*

Quid ergò movere te potuit ad dubitandum de doctrinâ, tantâ SS. Patrum auctoritate stabilitâ? An forsan existimas Angelorum custodiam majus esse beneficium, quam ut concessum esse credatur reprobis? At verò nonne multò majus beneficium concessum est reprobis, quando pro illorum salute mortuus est homo Deus? De hoc etiam dubitare te, non est credibile, nec enim, opinor, ausus fuisses ponere hanc Thesim: *Christus mortuus est pro electis, fortè etiam pro reprobis*. Hujusmodi Thesim proponere non patitur religiosa observantia, quam debes, quamque promifisti, ac jurasti toties ergà Constitutiones Innocentij X. & Alexandri VII. qui hanc Jansenij propositionem quintam: *Semipelagianum est dicere Christum pro omnibus omninò hominibus mortuum esse, aut Sanguinem fudisse*, hisce verbis exceperunt: *falsam, temerariam, scandalosam, & intellectam eo sensu, ut Christus pro salute dumtaxat predestinatorum mortuus sit. impiam, blasphemam, contumeliosam, Divinæ pietati derogantem, & hæreticam declaramus, & uti talem damnamus.* Cum igitur religiosa observantia,

E 4

quam

quam debemus ergà Constitutiones Innocentij X. & Alexandri VII. nos cogat credere Christum esse Mortuum pro salute non tantum Electorum, sed etiam reproborum, quid tantoperè miramur Divinam providentiam ad horum etiam custodiam suos deputasse Angelos, cum istud unanimi consensu tam constanter pronuntient SS. Patres, & cum illis Theologorum Princeps Doctor Angelicus? Quorsum ergò illud? *Angelum Custodem habent electi, FORTE etiam reprobi.*

Solent in Belgio pij Parentes Parvulis suis ab ineunte ætate instillare pietatem ac reverentiam ergà Angelum Tutelarem, atque hoc etiam freno cohibere illorum petulantias: nunc verò, si fidem inveniat Doctor Gummarus, licebit post hæc Parentibus dubitare, an Parvulis ad ipsorum custodiam deputatus sit Angelus, cum semper sit dubium, an sint in exiguo numero Electorum.

Mea semper hæc fuit consuetudo moribundis sedulò commendare, ut ante discessum Angelo suo Tutelari summas habeant gratias pro impensâ tot annorum

APPENDIX.

95


custodiâ, utquè postremum postulent obsequium; nihil ego hæsitabam, nihil dubitabam, quin moribundo adesset Angelus ab ineunte ætate ipsi deputatus custos: nunc quando moribundis adsum, incipio-que cogitare de gratijs habendis Angelo Tutelari, ut mea fert consuetudo: identidem mihi occurrit illud Gummarianum: *Angelum custodem habent electi, FORTE etiam reprobi;* molesta mihi isthæc accidit cogitatio, turbat me illud *FORTE*, hæreo anceps, an moribundo adsit Angelus Tutelaris, cum sit incertum, an Electorum numero sit adscriptus.

FINIS

APPROBATIO.

Hic Libellus, cui titulus
*Doctrina nova ac mira
de Ignorantia, Eximij D. Gum-
mari Huygens, expensa per Uli-
cum Jonson Theologum, merito
lucem publicam videbit. Da-
bam Lovanij. Aprilis 1682.*

*Nicolaus du Bois Sacra-
rum Litterarum Prima-
rius Professor, Librorum
Censor &c.*




APPROBATO

Die 10. Junii 1672
In Theatro publico
Lectura facta
a Johanne Baptista
Cappellano, Rectori
Universitatis
Paderbornensis
In praesentia
Magistri Joannis
Ludovici
Cappellani, Librarii
Universitatis


Magistri Joannis
Ludovici
Cappellani, Librarii
Universitatis
Paderbornensis






101
102
















Th

439